

DE GNOMONE
MERIDIANO
BONONIENSI
AD DIVI PETRONII

Deque obſervationibus Aſtronomicis eo inſtrumento ab ejus conſtructione

AD HOC TEMPUS PERACTIS

AUCTORE

EUSTACHIO MANFREDIO

BONONIENSIS GYMNASII AC SCIENTIARUM INSTITUTI ASTRONOMO.



BONONIÆ MDCCXXXVI.

Ex Typographia Lælii a Vulpe.

Superiorum facultate.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/degnomonemeridia00manf

NOBILISSIMIS VIRIS

MARCHIONI ALOYSIO ALBERGATO

Præsidi perpetuo

COMITI FRANCISCO MARIÆ SIGNIO

COMITI PAULO PATRICIO ZAMBECCARIO

MARCHIONI HIERONYMO COSPIO

MARCHIONI SIGISMUNDO MALVETIO

COMITI SIGHIZZO BLANCHETTO

Bononiæ Senatoribus

DIVI PETRONII BASILICÆ PRÆFECTIS

Eustachius Manfredius S. P. D.

NON fuit mihi ambigendum cui potiſſimum opuſculum hocce meum inſcriberem, jam enim annos ab hinc fere quadraginta cum illud adornare cæpi tacito quoddam animi mei judicio Vobis (Viri nobiliſſimi) addixeram ac nuncupaveram, ratus ea re non tam officium a me Vobis præſtari quam debitum quoddam perſolvi. Agitur enim in hoc libro de meridiana illa li-

nea

nea quam Anteceſſores Veſtri magno cæleſtis diſciplinæ commodo in nobiliſſima civitatis baſilica, cujus procurationem geritis, ſtatuerunt, ac ſummo deinceps ſtudio expendendam, reintegrandam, ornandam curarunt; cui inſtrumento non cives modo, ſed exteri etiam, quotquot aſtronomiam colunt, maximos hujuſce artis progreſſus acceptos referunt. Ejus ergo inſtrumenti, atque adeo perpetuæ Veſtræ erga optimas diſciplinas voluntatis hiſtoriam ſervari ad neminem magis quam ad Vos attinet; quam equidem hiſtoriam cum Viri celebres Joannes Dominicus Caſſinus, Dominicus Gulielminus abſolutiſſimis commentariis a ſe conſcriptam Vobis obtulerint, aliqua tamen fiet illi ex hoc libro acceſſio, in quo non tam operis deſcriptionem (quod illi præſtiterunt) quam ejus uſum, atque utilitates inde perceptas ſum proſecutus. Non modo enim obſervationes quæ hac linea a primis ejus temporibus peractæ fuerant recenſui, ſed multo plures adjeci quas ipſe per me vel per ſocios habui, quippe qui, ut primum hæc ſtudia attigi id mihi ſumpſi ut perpetua (quoad fieri poſſet) earum obſervationum ſeries extaret. Id ergo totum, qualecumque eſt, ſi Vobis (Viri ſummi) acceptum fuiſſe cognovero & ego curam eandem perſequar quoad vivam, & ad immortalia illa quibus ampliſſimus ordo veſter me fratreſque meos exornavit beneficia novus quidam ac maximus ab humanitatis Veſtræ teſtimonio cumulus accedet. Valete

Kalendis Juliis MDCCXXXV.

DE

DE GNOMONE BONONIENSI
A C
MERIDIANIS
OBSERVATIONIBVS
EO HABITIS.

TRadituruſ earum obſervationum ſeriem, quæ hoc Bononienſi gnomone a prima ejus conſtructione in hunc diem octoginta annorum ſpatio a viris celeberrimis habitæ, a me vero ſummo ſtudio conquiſitæ ordinatæque ſunt, rem non modo legentibus gratam, ſed plane neceſſariam facturum me exiſtimavi ſi initio de gnomonis ipſius fabrica atque uſu, tum de multiplici ejus examine ac reſtitutione, poſtremum de ea quæ ab hiſce obſervationibus in rem aſtronomicam promanavit, aut promanare adhuc poterit utilitate paucis verba facerem. Quamquam enim & pleraque ex his quæ ſum dicturus e recentiorum aſtronomorum libris, in quibus frequens meridianæ hujuſce lineæ eſt commemoratio, peti poterant, & vero ſummus ipſe aſtronomus Joannes Dominicus Caſſinus, tam præclari inſtrumenti artifex accuratam ejus deſcriptionem juſto opere eſt complexus, tamen neque ullus extitit qui ea attingeret, quæ ad poſtremos hoſce annos pertinent, neque ex legentium commodo futurum videbatur ſi ad harum obſervationum rationem omnem percipiendam aliorum librorum adjumento indigerent. Id autem eo libentius facere inſtitui quod ejuſmodi enarratio cum quadam reſtauratæ hoc & ſuperiore ſæculo aſtronomiæ hiſtoria erit conjuncta. Pleræque enim circa Solis motum difficultates, quæ veteribus moram injecerant, hocce inſtrumento (quippe omnium quæ uſpiam aſtronomos tractare noverim maximo) ſublatæ, diremptæque ſunt; ac facile etiam inducor ut credam quæcumque ad ſummam in hoc negotio ſubtilitatem deſiderari adhuc videntur ejuſdem præſertim ſubſidio inventum, ac perfectum iri, ſi modo in ea indagine anteceſſorum ſolertiam poſteri æmulentur.

Caput Primum.

De prima inſtrumenti conſtructione.

TEmplum eſt Bononiæ Divo Petronio Civitatis Epiſcopo ac Patrono ſacrum, ante annos 340 in ipſo fori conſpectu publica auctoritate exſtructum, opere ac magnitudine in paucis Italiæ ſpectabile. Procuratio ædis penes Senatum eſt, proventus ex publico attributi, quos quinqueviri biennales una cum præſide perpetuo e patrum ordine adlecti adminiſtrant. Longitudo templi, quàm nunc ab intimo odei receſſu porrigitur ad valvas, quæ in forum ſpectant, pedum eſt Bononienſium 335; latitudo pedum eorumdem 105 præter ædiculas, quæ utrimque extrorſum projectæ pedes 46 ad eam menſuram adjiciunt (Ichnographiam ſubjecta huic libro tabula exhibet) Symetria eſt ejuſmodi uti in ea, quamquam ex mediæ ætatis barbarie profecta, neque dignitatem, neque venuſtatem quandam deſideres. Octogonæ columnæ ædis totius ſpatium in tria ambulacra (naves vocant) ſecundum longitudinem dirimunt, quibus navibus totidem a foro januæ reſpondent. Medianæ navis altitudo ex teſtudinum umbilicis ad pavimentum pedum eſt circiter 120, reliquarum pedum amplius ſeptuaginta. Necdum tamen tanta hæc moles ad architecti exemplum eſt abſoluta, quæ ſi aliquando abſolvatur, vix ulla erit, opinor, baſilica quæ cum hac amplitudine contendat. Itaque & celeberrimis Romanorum Pontificum, Regum, ac principum virorum conventibus nobilitata eſt, & in ea Carolus V. Cæſar a Clemente VII. ſummo Pontifice in maxima Europæ frequentia Romani imperii inſignia ſuſcepit.

Ceterum ædificii ad cæli plagas is eſt poſitus ut fronte ſeptentriones, poſtico auſtrum ſpectet, ac propterea fere ſecundum meridianum in longum protendatur, modice ſcilicet (quippe gradus omnino tredecim) ex cardine boreo in ortum deflexum. Propter haſce opportunitates cum de æquinoctiis reſtituendis, ac univerſa anni Juliani ratione emendanda, Gregorio XIII. Pontifice, rumor increbuiſſet; Egnatius Dantes Bononienſis gymnaſii mathematicus auctor fuit uti in hac æde regula marmorea ſterneretur, quo immiſſo per ſublime foramen Solis radio annuæ ejus converſiones, earumque articuli obſervando expenderentur. Neque tamen eam regulam in ipſa meridiani directione ſtatui laboravit, neque vero in partes diſtribuit, aut ad perpendiculi menſuram exegit, quippe qui ſolſtitiorum tantummodo tempora ex maximo, aut minimo ſolaris imaginis ad verticem acceſſu perſcrutari ſatis duxit; atque hoc pacto hybernum ſolſtitium anni 1576 in diem 11 Decembris incidiſſe comperit. Extat adhuc in navi orientali ejus lineæ veſtigium octonis ut minimum gradibus a meridiano in ortum declinans. Foramen erat in lamina ante feneſtram in ſummo pariete meridionali, qui paries id temporis fuit

ædis

ædis poſticus. Verum anno 1653 producto meridiem verſus ædificio, novoque Fornice ad priores quinque adjecto, paries ille eſt dirutus, neque Egnatii linea uſui deinceps fuit.

Ex eo itaque tempore de gnomone alio ſubrogando agitatum eſt. Plerique Egnatianam regulam ipſam in ſpatium ex novo adjectum ſimili poſitu transferendam, ac Solis radium per parietem recens conſtructum excipiendum cenſebant. Contra Joannes Dominicus Caſſinus qui Bonaventuræ Cavalerio ante biennium ſuffectus matheſim publice profitebatur, Solem ex ipſa potius teſtudine, quippe parietibus ſublimiori, admittendum ſentiebat, ac lineam in meridiano deſcribendam, quam toto anno irradiaret; hoc enim pacto, dimenſis ad perpendiculum lineæ partibus quas ſolis imago quotidie attingeret, præſtantiſſimum inſtrumentum paratum iri, quo minimæ quælibet motus differentiæ atque inæqualitates diſtingui poſſent. Verum huic rei cum multæ intercedebant difficultates tum in primis obliquus ille Ædis ad meridianum poſitus obſiſtere judicabatur. Quicumque enim ſive in mediana ſive in altera laterali concameratione locus eligeretur unde Solem immitti placeret, neceſſe erat ad hunc toto anno ac præſertim per hyemem meridie excipiendum, lineam ipſam tantæ longitudinis fieri uti ex altera in alteram navim procurreret; id autem quominus ſuccederet columnarum quæ naves diſterminant craſſitudinem obſtituram plerique ominabantur; quippe tam modicam fore meridianæ lineæ ad columnarum lineam inclinationem, uti per intercolumnium inoffenſis baſibus tranſduci non poſſet; atque eam videlicet Danti fuiſſe ajebant cauſſam cur ex obliquo priorem illam lineam ſtatuiſſet.

Erat hæc ſane res in ſumma menſurarum ſubtilitate poſita. Caſſinus primum exſquiſitis obſervationibus per eas horas habitis quibus horis Sol ipſam ædis frontem ſtringeret certiſſime comperit quo angulo parietes, atque adeo columnarum directiones ad meridianum inclinarentur. Dein ducta linea quæ columnarum duarum proximarum baſes alternatim tangeret, angulum eſt dimenſus, quem linea hæc cum ea comprehenderet, quæ per baſeon centra duceretur; quem angulum ubi priore illo aliquanto minorem reperit, audacter fortaſſe, ſed ex propriæ artis fiducia polliceri non dubitavit nihil per columnas obſtiturum quominus meridiei linea ex alia in aliam templi navim traduci poſſet. Ceterum nullum opportuniorem fore locum, quam ſi inter columnas illas duas tranſmitteretur, quibus columnis fornix ad lævam ab ingreſſu ſecundus incumbit, Solis vero radius ex quarta teſtudine ortivæ navis non longe a pariete exceptus in lineam incideret; ita enim futurum ut neque hæc eas templi partes occuparet, quæ potiſſimum ſacris ceremoniis addictæ ſunt, & tamen longitudinem habere poſſet gnomonis duplam ſeſquialteram, quantam requiri noverat quo per ipſum hybernum ſolſtitium Solem acciperet.

Cum ejus rei rationem omnem ſcripto declaraſſet, ac vir ſummus Cornelius Marchio Malvaſia de eo ad Senatum retuliſſet, patribus rem perfici, ac Caſſino negotium dari placuit. Ille perducta inter columnarum anguſtias ea quam meridianam futuram noverat linea, ac pluribus in eam demiſſis perpendiculis ſummo ſtudio punctum ipſum in teſtudine inveſtigavit in quo foramen ſtatui oporteret, ut neque pro puncti altitudine ſpatium ad juſtam lineæ lon-

gitudinem deficeret, neque tamen nimio ſuperaret. Poſquam punctum illud reperit in eo loco laminam cum rotundo foramine ad horizonem libratam collocat, tectumque quantum oportet ſuperius patefacit. Punctum aliud in pavimento ſub centro foraminis perpendiculo deſignat. Ubi omnia recte habere comperit mathematicos, literatoſque alios viros ad diem ipſum æſtivi ſolſtitii, 21 Junii 1655 publico programmate invitat. Programma in hæc verba conceptum erat: *In hoc æſtivo Solſtitio cæleſti ſcientiæ a fundamentis inſtaurandæ in templo D. Petronii primus lapis ponitur: præſens Solſtitium obſervatur: via Solis circa meridiem deſcribitur: ibì in pavimento meridiana linea quam Sol ab altiſſima orientalis fornicis parte intromiſſus toto anni decurſu in ipſo meridiei puncto illuſtrabit, quotidianis Solis, Lunæque & inſigniorum ſiderum obſervationibus, phyſicіſque experimentis accomodata, inoffenſo tramite deſcribitur, & publicæ cenſuræ exponitur die* XXI *&* XXII *Junii, civilis horologii hora* XV.

Cum omnium ordinum concurſus factus eſſet, meridie appetente, ut primum Solis ſpecies in pavimentum delapſa eſt, in ipſo pavimento (quod antea hoc loci ad libellam componendum curaverat) veſtigium curvæ ſemitæ ab utroque ſpeciei margine peragratæ delineat, atque ad aliquod temporis poſt meridiem proſequitur. Dein circulari arcu deſcripto, cujus circuli centrum in perpendiculi puncto ſitum erat, earum ſemitarum quas delineaverat alteram in punctis duobus interſecat, ſectionum intervallum bifariam dividit. Perſpicuum erat ab aſtronomicis rationibus fore uti linea quæ ex arcus centro ad medium illud punctum recta duceretur, cæleſti meridiano congrueret. In eo itaque poſitu filum quam rectiſſime poteſt intendit. Tum vero mira hominis ſolertia omnium oculis ſe ſe prodidit; filum enim recta inde productum inter columnas illas duas ita dirigi apparuit ut earum baſes tantum non perraderet. Denique aliis exaratis circulis, aliiſque cum utraque illa marginum ſemita notatis ſectionibus experiri placuit an idem meridiani poſitus inveniretur, neque uſpiam diſcrimen repertum eſt quod ad decimam pollicis partem exſurgeret, pleriſque viri acumen, quibuſdam & ſortem extollentibus. Sed fortunæ ſane fuerit eam eſſe columnarum collocationem uti meridianum ſolem nuſpiam interciperent; illa vero quantæ artis atque induſtriæ fuiſſe exiſtimamus hunc ipſum adamuſſim poſitum præſenſiſſe, Solemque in anguſtiſſimum illum tramitem ex deſtinato induxiſſe, atque omnia ita ordinaſſe ut non tam ad meridianam lineam inveniendam quam ad fidem inventæ adſtruendam Solis ope indiguiſſe videretur?

CA-

Caput II.

Inſtrumenti deſcriptio.

NUnc vero quæ ad perficiendum deinceps aptandumque cæleſtibus obſervationibus inſtrumentum adjecta fuerunt non eo ordine perſequar quo effecta ſunt, ſed illud potius quemadmodum his diebus viſitur abſolutum deſcribam.

Meridiana hæc linea ex ferrea conſtat regula tranſverſum digitum lata, inter regulas duas marmoreas unciarum duarum latitudine pavimento infixa, atque ab eo puncto navis ortivæ, cui puncto foramen ſolem admittens in teſtudine imminet, per templi intercolumnium fere ad frontis parietem prope medianæ januæ latus porrecta. Regulæ illæ intercolumnium adeo ex obliquo pervadunt ut ferrea quidem columnarum neutram attingat, marmoreæ vero ſingulæ ſingulas diſtringant, ac propterea aliquid de harum angulis abradi oportuerit. Gnomonis vicem in hocce inſtrumento gerit perpendiculum, quod a centro foraminis demiſſum in ipſum ferreæ regulæ caput, atque in medium ejus latitudinis punctum incidit. Foramen circulare eſt in lamella plana ex orichalco. Lamella quadrato lapidi cochleis adſtringitur, qui lapis cum ipſa teſtudine calce coagmentatus eſt. Ne autem foraminis margines ob lamellæ craſſitudinem aliquem Solis radium, cum præſertim obliquius incidit, interciperent, ita excavata eſt lamella ut foramen concavam fruſti conici aut potius ſphærici ſuperficiem referat, ſuperiori parte quantum opus erat patulum, inferiori in aciem deſinens. Eapropter planum foraminis, ejuſque centrum, quod in definienda gnomonis altitudine attenditur in inferiori lamellæ facie eſt poſitum. Eam altitudinem pedum Bononienſium 71 unciarum 5 Caſſinus eſt dimenſus; ſed quo facilius ex obſervationibus calculi ineantur, in partes æquas centum dividi, ſingulas vero centeſimas in particulas mille ſubſectas cogitari placuit. Centeſimarum diſtributio in lignea regula perpendiculi altitudinem æquante peracta eſt; eoque opere centeſimæ ſingulæ uncias ipſas decem pedis Pariſienſis comprehendere inventæ ſunt; unde conſit altitudo tota unciarum Pariſienſium mille. Partis centeſimæ modulus extat in lamina paraſtadi inſerta ad caput lineæ meridianæ, in millenas ipſe partes diſpertitus, quo menſuræ ad centeſimas milleſimas altitudinis particulas definiri queant. Earum particularum foraminis diameter centum comprehendit.

Jam marmorea regula quæ ex parte orientis ferreæ adjacet e ſegmentis pluribus in longitudinem continuatis compingitur; hæcque ſegmenta ſingula ad duas ipſas altitudinis centeſimas dimenſa ſunt. Numeri ſegmentorum terminis perpetuo ordine adſcribuntur, qui terminorum ſingulorum a perpendiculi puncto diſtantiam per ejuſmodi partes dinumeratam indicent. Numeratio ad 250 centeſimas cum linea ipſa finitur; hunc enim præterpropter extremum limitem radius ab imo Solis margine per brumale ſolſtitium attingit; hinc longitudo lineæ fit pedum Bononienſium omnino 178, unciarum 6 ſemis. Cete-

rum

rum cum ob juncturarum aſperitates nonnihil ambigui eſſent in marmoribus centeſimarum termini, regula ipſa ferrea anno 1695, cum inſtrumentum a Caſſino redintegratum eſt, inciſuris e regione numerorum illorum appoſitis, diſtincta fuit, aliæque præterea inciſuræ mediis locis adjectæ, quibus jam non binæ, ſed ſingulæ partes centeſimæ longe certius diſcriminentur, maxima enim cura eſt adhibita ut inciſurarum diſtributio quam exactiſſima eſſet.

Regula porro alia marmorea quæ ab occidente eſt, ex pluribus & ipſa lapidibus, ſed longitudine minime inter ſe ſe paribus jungitur. Singuli enim lapides ſingulis gradibus meridiani circuli reſpondent, qui gradus a vertice ad Solem, vel ad aliud Sidus numerantur cum ad ejus lapidis terminum radium emittit, quemadmodum adnotati lapidibus numeri oſtendunt; itaque lineæ extremum paullo ultra gradum octavum & ſexageſimum excurrit, quod ea in Bononienſi meridiano diſtantia ſit Solis a vertice maxima. Verum hæc graduum notatio vix quicquam ad obſervationes ipſas conducit, ſed ad uberiorem quemdam organi inſtructum videtur adjecta; gradus enim, & graduum partes longe accuratius ex prioris regulæ dimenſionibus computari poſſunt.

Etſi vero regula utraque e tot lapidum ſegmentis coaleſcit omnium tamen ſuperficies coæquata eſt, atque ad eundem cum perpendiculi puncto horizontalem poſitum ſtudioſiſſime exacta. Id vero ope aquæ in canali juxta lineam collocato conſiſtentis effectum eſt, cujus aquæ ſuperficies ab initio lineæ ad ejus extremum pertinebat. Lapides enim eouſque attollebantur, aut deprimebantur, quouſque ſinguli parem cum puncto perpendiculi a ſuperficie aquæ altitudinem ſervarent. Sed qui rationem omnem atque artificium quo hæc ſingula peracta ſunt ſcire cupit, legat licet quæ Caſſinus in hujuſce inſtrumenti hiſtoria vernaculo idiomate conſcripta ac Bononiæ anno 1695 edita tradidit, quæque Dominicus Gulielminus eidem libro adjecit.

Ceterum ne quid operi deeſſet aptati ſunt ad regularum latera quadrati lapides iis locis ſingulis, quæ ſolaris ſpecies attingit quum Sol ſingula Zodiaci ſigna ingreditur, inſculptis ex adverſo ſignis duobus, altero aſcendentis eclipticæ ſemicirculi, deſcendentis altero, quorum ſignorum initia eoſdem circulos æquatori parallelos deſcribunt. Ad ipſum Cancri initium, in quo puncto fit Solis converſio, elliptica ejus ſpecies delineata viſitur quo loco, quaque magnitudine in ſolſtitio æſtivo anni 1655 eſt obſervata. Idem in tropico Capricorni factum eſt, poſtquam hyemali anni 1656 ſolſtitio imaginis magnitudo, & ſitus eſt animadverſus, qui locus ad boreale extremum lineæ eſt poſitus, imagine ipſa nonnihil ultra 250 perpendiculi centeſimas porrecta. Præterea lapidibus aliis juxta orientalem regulam inciſæ ſunt horæ ipſæ quæ ab occaſu ſolis ad ejuſdem ortum intercedunt, quibus diebus Solis ſemita per eas lineæ partes tranſit. Denique fruſta alia marmorea ex parte occidentis ſita indicant dena quælibet ſcrupula tertia totius terræ ambitus, quæ ſcrupula ab initio lineæ ad ſingula hæc marmora interſunt; cum enim linea continenti aquæ ſuperficiei æquidiſtans ſit poſita, minime recta eſt, ſed curva, a meridiani tamen plano nuſpiam deflexa, ac propterea eas diviſiones ſuſcipit quibus circulorum arcus diſpertiri ſolemus. Eſt autem ex Caſſini rationibus tota lineæ longitudo ejuſcemodi ſcrupulorum 130, ſive ſecundorum 2, tertiorum

10, paullo amplius, nempe totius meridiani circuli pars præterpropter ſexcentimilleſima; id quod in anta interiori medianæ januæ atramento deſcriptum, non tamen inciſum voluit.

Caput III.

De meridianis obſervationibus hac linea habendis, atque a penumbra corrigendis.

PRoximum illud eſt ut oſtendam quo pacto meridianæ obſervationes hocce inſtrumento peragantur, atque adeo peractæ ſint eæ omnes, quas in hac ſerie tradimus. Id vero ex iis quæ dicta ſunt facile intelligitur. Meridie enim, quum Solis ſpecies a ferrea regula biſſecta apparet, utriuſque ſpeciei marginis ſemita diligenter attenditur, ac lineolæ duæ in contiguis marmoribus cultelli acie, aut rubrica exarantur, quas lineolas margines ipſi inter progrediendum perradant, id quod unicus obſervator haud difficulter præſtat, commodius autem duo, qui ſinguli in ſingulos imaginis limbos intendant. Deinde circino, aut tæniola ex charta intervallum utrumque accipitur, quod inter notam, ac proximam illi ferreæ regulæ inciſuram intercedit, numeruſque centeſimarum perpendiculi, qui inciſuræ reſpondet exſcribitur, qui numeri in orientali regula marmorea alternis inciſuris e directo ſunt appoſiti; atque illud etiam advertitur an nota ultra inciſuram, cujus exſcribitur numerus boream verſus, an citra eam verſus initium lineæ exarata ſit, uti ex eo appareat num acceptum intervallum ſuper centeſimas in ſummam ſit imputandum, an vero ſubducendum. Tunc intervallum ipſum quot partium milleſimarum unius centeſimæ ſit ex modulo ad caput lineæ poſito exploratur, atque ita Solaris utriuſque marginis a perpendiculi puncto diſtantia ad centeſimas milleſimas particulas colligitur.

Neque diſpar eſt ratio ſi de Luna obſervanda agatur, quod interdum experiri placuit. Luna enim cum pleno orbe lucens meridianum pertranſit ſatis nitidam ſui ſpeciem in hac linea efficit. Ad ejus autem ſpeciei margines definiendos nihil aptius inveni, quam ſi charta alba in ipſa ſpecie ſtatuatur, ac ſenſim verſus ſpeciei marginem ita reducatur, ut chartæ limbus rectis ſemper angulis lineam interſecet; ubi vero inter reducendam chartam nihil amplius luminis ab ea delibari appareat, ibi charta ſiſtatur, tum vero lumen e laterna proferatur ac punctum ipſum notetur in quo chartæ limbus lineam ſecat.

Ejuſmodi autem menſurarum quas hæc linea ſuppeditat quanta ſit ſubtilitas ex eo intelligi poteſt, quod particulis illis ſingulis vix uſpiam duo ſecunda ſcrupula meridiani circuli reſpondeant, quinimo ubi obliquior eſt Solis poſitus ne tres quidem aut quatuor particulæ in obſervatione neglectæ unius ſecundi ſcrupuli diſcrimen inferant, quemadmodum ex his quæ paullo poſt dicemus percipi poterit. Ne quid tamen ſilentio prætereaın duo ſunt quæ tantæ huic obſervationum certitudini nonnihil detrahant. Alterum quod imago terminis

nis non uſque adeo certis circumſcripta ſit, ſed oras ancipites, quippe ex lucē in umbram gradatim evaneſcentes habeat, præſertim ubi vapores, aut nubeculæ æquabili quadam luce perfuſæ Solem obſepiant. Altera eſt cauſa perpetua quædam, utut exigua, imaginis agitatio, ac quaſi ſubſultus; hic autem eo major deprehenditur quo Sol nitidior, ac magis purus eſt aer, ac quantum animadvertiſſe mihi videor non alius æſtate atque hyeme, ſi ejus tremoris quantitatem ex angulorum quos ſubtendit menſura æſtimemus. Verum hiſce difficultatibus quadantenus occurritur ſi eadem in utroque ſpeciei limbo notando ratio ſervetur, nempe ſi utrinque aut vividiſſimus, aut maxime languidus lucis terminus accipiatur, ac utrinque etiam vel extimus, vel intimus eligatur limes, quem trepidatione illa ſpecies attingit; ita enim fiet ut ſi vel minus accurata limborum determinatio fuerit, in ipſo tamen Solaris centri poſitu inde eliciendo vel nihil, vel longe minus errari poſſit; id quod ex dicendis fiet perſpicuum.

Jam vero iis menſuris quæ in linea actæ ſunt primum omnium correctio quædam eſt adhibenda, cujus correctionis neceſſitas a foraminis amplitudine oritur. Imaginis enim AIBR (*Figura* 1.) cujus extremitates A, & B in meridiana linea PK notantur, ultima illa ora AIBR minime a radiis per centrum foraminis C tranſeuntibus efformatur, ſed ab aliis, qui foraminis DE circumferentiam diſtringunt; atque ideo extremum B a radio BDM, qui radius ex auſtrali Solis limbo M profectus foramen in boreali ejus termino D ingreditur, extremum vero A a radio AEF, qui ex boreo margine F ad auſtralem foraminis partem E emittitur. Quod ſi eam tantum imaginem quæ a radiis per centrum C tranſeuntibus effingeretur attendamus (quemadmodum in hac indagine attendi oportet) ducendæ erunt per C rectæ duæ CG, CH, duabus BD, AE æquidiſtantes, ac meridianæ lineæ occurrentes in G, & H; puncta enim hæc duo G, H imaginis ejus meridianos terminos deſignabunt, quod rectæ illæ CG, CH propter immanem Solis diſtantiam veluti radii duo ſpectari poſſint ex iiſdem ſolaris diſci punctis F, M promanantes, e quibus BD, AE promanant; ac propterea imago illa figuram ellipſeos HNGT, verticibus G, H definitæ referre videretur, niſi radii alii e toto foraminis ſpatio illapſi coronam illam AIBR ipſi circumponerent. Ut ergo centralium tantum radiorum ratio habeatur, linea PA, quæ a perpendiculi puncto P ad propiorem ſpeciei terminum A pertinet, ac ſuperiori, ſive boreo ſolis limbo F reſpondet, augenda eſt quantitate HA, puta ſemidiametro foraminis CE, quæ ſemidiameter partium eſt centeſimarum milleſimarum perpendiculi quinquaginta; PB vero, quæ ſcilicet remotiorem imaginis partem B determinat, & ad inferiorem, ſive meridionalem limbum ſolis ſpectat, quantitate eadem CE, ſive CD, aut BG minuenda. Hoc pacto linearum PH, PG menſuræ conflantur, quas *tangentes correctas a penumbra*, quemadmodum PA, PB *incorrectas*, appellare conſuevimus. Sunt enim ipſæ PH, PG tangentes trigonometricæ angulorum PCH, PCG, ſive (producto ad verticem Z perpendiculo PC) angulorum ZCF, ZCM, nempe diſtantiarum apparentium a vertice utriuſque Solis limbi F, M, ſi perpendiculum PC pro radio ſtatuatur, ac radius partium centummillium eſſe cogitetur.

Sed

Sed ne in hoc ipſo ullus ſuboriatur ſcrupulus, propterea quod meridianam hanc lineam minime rectam eſſe, ſed in circularem arcum inflexam ſupra poſuimus, eſto arcus ille, quem tota ejus longitudo occupat, AB (*Figura* 2) ſcrupulorum nempe ſecundorum 2, tertiorum 10, centrum vero ejus arcus, atque adeo telluris, punctum C, per quod actæ ſint ſemidiametri CA, CB, atque eum arcum tangat in A recta AD, rectæ CB occurrens in D, jungaturque AB. Primum illud certum eſt arcum AB a tangente AD nihil deficere quod ſenſu percipi poſſit, quando ne ipſa quidem ſubtenſa AB, quæ arcu AB minor eſt, ab AD quicquam ad ſenſum deficit, cujus rei periculum facere licet in triangulo BAD, ſi AB ponatur partium 250000 (quæ totius meridianæ lineæ, ſive arcus AB eſt longitudo ex perpendiculi modulo) atque ex notis angulis BDA (qui ſcilicet complementum eſt anguli C, ſecundorum 2. 10) & BAD (quem ejuſdem anguli C dimidium eſſe conſtat) rectæ AD longitudo, quàm ſubtiliſſime licet inveſtigetur, nullum enim invenietur diſcrimen quod longe infra unam ex illis 250000 particulis non conſiſtat. Jam ergo in eodem triangulo ſi iiſdem datis quæratur BD prodibit particulæ unius cum triente. Eſto gnomonis altitudo AG, ipſi CA continua, & juncta GB ſecet AD in puncto K. Quoniam autem poſita AB partium 250000 angulus G, diſtantia ſcilicet a vertice Solis ſolſtitio hyemali, graduum eſt præterpropter 68, erit angulus GKA, vel BKD grad. 22; & cum angulus D a recto vix differat, fiet in triangulo BDK tertius angulus B iterum graduum fere 68. Ut ergo ſinus anguli K, grad. 22 ad ſinum anguli B, gr. 68, nempe ut 3 ad 9 fere, ita BD, quam ſupra invenimus particulæ unius cum triente, ad DK quæ propterea erit particularum earundem plus minus 4. Tantulum ergo eſt diſcrimen inter AK, tangentem ſcilicet anguli AGK, & rectam AD, ſive arcum AB, quem arcum pro ejus anguli tangente uſurpamus; atque idem methodo magis directa, ſed operoſiore calculo invenietur ſi in triangulo BAG, in quo angulus A, & latera circa eum nota ſunt, angulus G eruatur tum vero ejus anguli tangens AK cum ſubtenſa AB, ſive cum arcu ipſo AB conferatur. Porro particularum 4 differentia in ea radii GB obliquitate vix ſecundi ſcrupuli diſſidium efficit in angulo AGK; ac multo etiam minores differentias prodire neceſſe eſt, ſi obſervatio in puncto alio quovis, inter A & extremum lineæ B interjecto peracta ſit. Tuto igitur Meridianæ lineæ etſi nonnihil curvæ, menſuras obſervatione inventas, atque ut prædictum eſt correctas, pro ipſis diſtantiarum a vertice tangentibus ad calculos aſſumimus.

Caput IV.

De loco Solis cum apparenti, tum vero in meridiano inveniendo.

HIs peractis facile apparet quid agendum ſuperſit ut ſolaris centri in meridiano circulo poſitus definiatur. Ex tangentibus enim correctis anguli ipſi diſtantiarum utriuſque limbi Solis a vertice per canonem trigonometricum, poſito radio partium 100000, nullo negotio eruuntur. Deinde ſi apparens tantum centri locus quæratur, eorum angulorum is qui minor eſt e majori ſubducitur, differentiæ dimidium minori adjungitur, vel de majori aufertur, ac centri diſtantia a vertice conflatur, arcus ſcilicet meridiani qui a vertice ad locum in quo centrum Solis apparet, intercedit, atque apparentis ab horizonte altitudinis eſt complementum.

Sed cum propter radiorum refractiones quas in athmoſphæra fieri aſtronomi deprehenderunt, ſidera omnia vertici propiora videantur quam ſunt, Solem autem alicui præterea parallaxi haud prorſus contemnendæ obnoxium eſſe iidem arbitrentur, cujus ea eſt natura ut contra ſidus a vertice remotius quam eſt oſtendat, neceſſe eſt ut qui locum ejus verum, in quo ſcilicet nulla refractione aut parallaxi interveniente e telluris centro ſpectaretur, aſſequi optat hujuſce cauſæ utriuſque rationem habeat. Eſt autem refractionis menſura & pro diſtantiæ a vertice diverſitate diverſa, & eadem ſervata diſtantia aliis aſtronomiæ ſcriptoribus alia, nec ſecus de parallaxi exiſtimandum. Pro eo igitur ac quiſque hujus, aut illius aſtronomi auctoritatem ſequitur, opus eſt uti ex ejus numeris refractionis quantitatem exquirat quæ utrique illi apparenti limborum ſolis a vertice diſtantiæ competit, atque eam ſingulis diſtantiis adjiciat; tum vero & parallaxeos quantitatem ex his, quas præeligendas putat aſtronomicis tabulis petat, eamque diſtantiis iiſdem ſubducat; vel quod expeditius, ſingularum diſtantiarum parallaxes e ſingularum refractionibus auferat, ac reſiduum diſtantiis ſemper addat, refractio enim, cum de Sole agitur, ſaltem ex recentiorum hypoteſibus, prævalet, Solemque magis attollit, quam parallaxis deprimat. In hunc finem tabellam refractionum, parallaxibus antea expunctis, ex Caſſini ſententia ſubjeci, iis tantum diſtantiis a vertice aptatam quas in meridiano Bononiæ Sol per anni ſpatium aſſequitur. Hac vero tabella ipſa & ego in univerſa obſervationum ſerie ad calculos exigenda uſus ſum, & qui volet uti poterit. Sed de harum menſurarum electione plura in loco dicam.

Tabel-

Tabella refractionum ſolarium, deductis parallaxibus, ex Jo: Dominici Caſſini hypotheſibus.

Diſt. app. a vert.		Refract. deducta parall.		Diſt. app. a vert.		Refract. deducta parall.		Diſt. app. a vert.		Refract. deducta parall.	
G	'	'	''	G	'	'	''	G	'	'	''
20.	30	0.	19	37		0.	39	53.	30	1.	11
21			19	37.	30		40	54		1.	12
21.	30		20	38			41	54.	30	1.	13
22			20	38.	30		42	55		1.	15
22.	30		20	39			43	55.	30	1.	17
23			21	39.	30		43	56		1.	19
23.	30		21	40			44	56.	30	1.	20
24			22	40.	30		45	57		1.	22
24.	30		22	41			46	57.	30	1.	24
25			23	41.	30		47	58		1.	26
25.	30		23	42			48	58.	30	1.	28
26			24	42.	30		48	59		1.	30
26.	30		24	43			49	59.	30	1.	32
27			25	43.	30		50	60		1.	34
27.	30		25	44			51	60.	30	1.	36
28			26	44.	30		51	61		1.	38
28.	30		27	45			52	61.	30	1.	40
29			27	45.	30		53	62		1.	43
29.	30		28	46			54	62.	30	1.	45
30			29	46.	30		55	63		1.	47
30.	30		30	47			56	63.	30	1.	49
31			30	47.	30		57	64		1.	51
31.	30		31	48			58	64.	30	1.	54
32			32	48.	30	0.	59	65		1.	57
32.	30		32	49		1.	0	65.	30	2.	0
33			33	49.	30	1.	1	66		2.	3
33.	30		34	50		1.	3	66.	30	2.	6
34			34	50.	30	1.	4	67		2.	9
34.	30		35	51		1.	5	67.	30	2.	12
35			35	51.	30	1.	6	68		2.	16
35.	30		36	52		1.	8	68.	30	2.	20
36			37	52.	30	1.	9				
36.	30	0.	38	53		1.	10				

Ubi igitur apparentibus diſtantiis ſolarium limborum a vertice hæc adhibi-

 ta

ta fuerit a refractione ac parallaxi emendatio, tum vero ex diſtantiæ alterius cum altera collatione earum differentia elicitur, nempe ſolis diameter (quantum hæc per hujuſcemodi obſervationes definiri poteſt) ac diametri dimidium minori diſtantiæ adjectum, vel ex majori ſubductum, veram centri diſtantiam a vertice efficit, quæ veræ altitudinis eſt complementum; atque hoc pacto verum in meridiani circulo Solis poſitum obtinemus.

Sed hæc omnia, quæ hoc & præcedenti capite diximus exemplo illuſtremus, uti rei univerſæ ratio vel iis pateat qui ab hiſce ſtudiis mediocriter exculti ſunt. Exemplum autem ex ipſis hujuſce ſeriei obſervationibus petemus, ut hæc quæ tradimus præcepta in iis obſervationibus ad calculos revocandis ſervata fuiſſe appareat.

Exemplum. Anno 1696 die 10 Novembris Dominicus Gulielminus tangentes in hac linea notavit utriuſque marginis Solis, inferioris quidem partium 190174, ſuperioris vero partium 185882. Calculi ergo ita ponendi erunt.

		Limbi inferioris		Limbi ſuperioris
Tangentes incorrectæ		190174		185882
Semidiameter foraminis	ſub.	50	ad.	50
Tangentes correctæ		190124		185932
Diſtantiæ a vertice apparentes quæ tangentibus correctis reſpondent in Canone trigonometrico	gr.	62.15.24	gr.	61.43.38
Refractio deducta parallaxi, e ſuperiore tabella	ad.	1.43	ad.	1.40
Diſtantiæ veræ limborum a vertice	gr.	62.17.7	gr.	61.45.18
Diſtantia minor e majori ſubducenda	gr.	61.45.18	Semid. ap. ad.	15.54
Differentia quæ eſt Solis diameter apparens		31.49	Diſtantia vera centri Solis a vertice	gr. 62.1.12
Ejus dimidium ſive apparens ſemidiameter		15.54		

Sciendum autem ſolares diametros, quæ hujuſcemodi obſervationibus, quantumvis accurate habitis, inveniuntur, perpetuo minores reperiri quam ſi iiſdem diebus per teleſcopium, ſive excepta in charta Solis imagine, ſive aptato micrometro, ſeu denique notato ope horologii automati tempore excurſus Solis per horarios circulos, inveſtigentur; cujus rei minime obſcura eſt ratio. Radius enim ille ultimus SA, (*Figura 3.*) vel MD, a quo imaginis oram extimam definiri diximus, cum omnium a Sole unicus in punctum A, vel D incidat haud ſatis efficax eſſe poteſt quo viſibilem ſui ſpeciem in pavimento, præſertim feneſtrarum lumine, radiiſque aliis undique ex diverſo repercuſſis illuſtrato, effingat; quinimo exiſtimandum ne plures quidem alios prope cum interiores radios obſervatori ſat manifeſtos eſſe poſſe, donec ad certam ab extima ora diſtantiam ventum ſit, quæ tot denique e diverſis Solis partibus

acci-

accipiat ut eorum impreſſio ſat valide viſum percellat. Pro eo enim ac alia atque alia puncta interiora ſumimus, certum eſt ex opticis rationibus plures ex iis punctis Solis partes detegi; atque hinc ſane illa quam diximus marginum ambiguitas ac luminis prope eos per gradus extenuatio. Eo igitur fit ut obſervator numquam puncta ipſa A, & D in meridiana linea notet, ſed interiora alia, veluti B, & E, pari intervallo ab iis diſſita, ſi modo diligenter curat ut pari utrimque luminis gradu ſpeciem determinet. Itaque quum menſuris ab eo actis correctionem deinde illam partium 50, quaſi puncta A, & D notata forent, adhibemus, nimis ſpeciem contrahimus, & intra centralem imaginem FG, veluti in I, & H excurrimus; propterea pro vera Solis diametro, quæ ad centrum foraminis C ſubtenditur, nempe GCF, prodit nobis angulus juſto minor ICH. Ejuſmodi tamen in taxanda diametri quantitate fallacia in ipſo centri poſitu nihil turbat; niſi forte vel diverſam ad A, & D luminis oblique incidentis attenuationem, vel angulorum quos æquales rectæ HF, GI ad C ſubtendunt diſparitatem morari velimus, quæ ſane geometricæ ſubtilitatis ſunt, aſtronomicam vero indaginem præ eorum exiguitate prorſus effugiunt.

Id potius ex uſu foret ſi illius diminutionis certa quæpiam regula conſtitui poſſet, cujus regulæ ope ab obſervata diametro ICH veram GCF arguere liceret. Caſſinus diametros quæ ab hiſce obſervationibus inveniuntur ſexageſima præterpropter ſui parte augendas arbitratus eſt. Mihi quamplurimas hujuſce ſeriei obſervationes expendenti quæ per hyemis initium habitæ eſſent, quum Sol haud longe a perigæo diſtat, ac mediam quamdam inter omnes menſuram attendenti non valde a vero abludere viſa eſt hæc ratio. Aſt ubi eas aggrederer obſervationes, quæ æſtate ineunte cum Sol prope apogæum verſaretur, ſunt habitæ, haud paullo majus quam partis ſexageſimæ diſcrimen comperiebam. Eſt enim Solis perigæi diameter GCF ſcrupulorum 32. 46, atqui angulus ICH, qui Decembri exeunte obſervatione elicitur ſcrupulorum eſt 32. 11, diſcrimine ſecundorum 35, quæ anguli ipſius ICH pars eſt quinta & quinquageſima. In apogæo autem, hoc eſt ſub exitum Junii diameter GCF ſcrupulorum eſt 31. 40, at ICH obſervari ſolet ſcr. 30. 51 quæ ab illa deficit ſecundis 49, puta hujuſce anguli parte octava & triceſima. Sed neque rationes conſtare comperi ſi pro angulis lineas ipſas GF, IH inter ſe ſe conferrem. Si quidem prope perigæum centralis imaginis longitudinem GF partium eſſe 6650 calculi oſtendunt, propterea quod Sol eo tempore gradus circiter 67. 45 a vertice recedat; atqui IH reperitur tunc ex obſervatione 6530; differentia eſt partium 120, quæ lineæ IH pars eſt quarta & quinquageſima; prope apogæum vero, ubi Sol 21 gradibus a vertice abeſt, GF colligitur ex computo partium 1062, ſed IH obſervatur partium 1036, diſcrimine partium 26, nempe quadrageſimæ partis rectæ IH. Ac perdifficile arbitror haſce diametrorum diminutiones ex opticis tantum principiis certo aſſequi, præſertim cum phyſicæ cauſæ plures, eæque mutabiles interveniant, quæ nullis adſtringi ſe legibus patiuntur. Itaque accuratæ diametrorum menſuræ teleſcopiis potius quam hoc inſtrumentorum genere inveſtigandæ ſunt.

CA-

Caput V.

De poli altitudine, & Eclipticæ obliquitate præcognoſcendis; ac Solis longitudine exinde ſupputanda.

POſtquam locus Solis in meridiano inventus eſt; ut ejus in ecliptica quoque poſitus eruatur, qui aſtronomis longitudo dicitur, duo præcognoſci neceſſe eſt: primum altitudinem poli in hac ipſa Divi Petronii æde, ubi obſervationes peraguntur, quæ geographica loci latitudo appellatur, deinde eclipticæ ad æquinoctialem circulum inclinationem, quæ obliquitas eclipticæ dicitur. Ne vero hæc duo ex aliorum ſcriptis petenda ſint, utrumque eadem opera ex hac ipſa obſervationum ſerie cognoſci poteſt, ſi eæ quæ per ſolſtitii utriuſque tempus habitæ ſunt conſulantur. Quos autem in dies, ac etiam præterpropter horas ſolſtitia ſingulis annis incidant ſatis certo ex ephemeride quapiam compertum eſſe poteſt. Etſi vero non eſt neceſſe ut ſolſtitii utriuſque obſervatio eodem anno habita ſit, ac ne illud quidem ut alterutra ſaltem eo ſit peracta quo illa in qua Solis poſitum quærimus (quod nimirum in tropicis punctis eædem fere ſingulis annis tangentium dimenſiones recurrant) ſecurius tamen propiora quam remotiora ſolſtitia ad hanc indaginem eliguntur.

Igitur ad utriuſque ſolſtitii diem diſtantiam veram centri Solis a vertice ex meridianis obſervationibus collige, tum æſtivam ab hyemali ſubducito, differentiæ enim, nempe tropicorum diſtantiæ, dimidium erit eclipticæ obliquitas, quam ubi æſtivæ diſtantiæ adjeceris, vel hyemali ademeris, loci latitudinem conflaveris. Atque hæc quidem ratio accuratiſſima eſt quum ſolſtitium vel meridie, vel paucis ſive ante, ſive poſt meridiem horis committitur; aſt ubi paullo magis a meridie abſit, diſtantia a vertice eo die obſervata correctiuncula indiget ut ad ipſum Cancri, aut Capricorni tropicum redigatur. Eam correctiunculam habes in ſubjecta tabella, cujus numeri longitudini Solis attributi ſunt, quam longitudinem habet meridie ejus diei, vel etiam pridie aut poſtridie quam ſolſtitium committitur. Hanc vero correctionem, cum de æſtivo ſolſtitio agitur, meridianæ diſtantiæ a vertice ſubducendam memento, cum de hyberno addendam. Id ubi præſtiteris, tum vero utere diſtantiis correctis, quæ ipſæ erunt diſtantiæ tropicæ, ſeu ſolſtitiales, ac reliqua uti dictum eſt perage.

Ta-

Tabella correctionis diſtantiæ meridianæ centri Solis a vertice prope ſolſtitia ut fiat diſtantia tropica a vertice.

Longitudo Solis.		Correctio diſt. a vert.	
Sign.	G '	*ſec.*	
♊ ♐	28. 25	34	1. 35
	28. 30	31	1. 30
	28. 35	27	1. 25
	28. 40	24	1. 20
	28. 45	21	1. 15
	28. 50	19	1. 10
	28. 55	16	1. 5
	29. 0	14	1. 0
	29. 5	11	0. 55
	29. 10	9	0. 50
	29. 15	8	0. 45
	29. 20	6	0. 40
	29. 25	5	0. 35
	29. 30	3	0. 30
	29. 35	2	0. 25
	29. 40	1	0. 20
	29. 45	1	0. 15
	29. 50	0	0. 10
	29. 55	0	0. 5
	30. 0	0	0. 0 ♋ ♑
			Longit. Solis.

Exemplum eſto in utroque ſolſtitio anni 1697. Die ergo 20 Junii ejus anni, quo die ephemerides ſolſtitium contigiſſe oſtendunt, meridianam diſtantiam veram centri Solis a vertice in hac ipſa obſervationum quas tradimus ſerie ex tangentibus notatis ſupputatam invenies grad. 21. 1. 13. quoniam autem ex ephemeride longitudo Solis meridie fuit grad. 29.37. Geminorum, correctionem diſtantiæ illi adhibendam ſuperior tabella exhibet ſecundorum 2, ſubducendam nempe e diſtantia a vertice grad. 21. 1. 13. (quandoquidem de æſtivo ſolſtitio agitur) ut fiat tropici æſtivi diſtantia a vertice grad. 21.1.11. Die porro 20 Decembris, quo ex ephemeridum numeris Sol Capricorni initium attigit, extat in eadem ſerie diſtantia a vertice obſervata gr. 67. 58. 9. Erat longitudo Solis meridie gr. 29. 28 Sagittarii; unde ex tabella correctio eſt ſecundorum 3, & ea quidem diſtantiæ a vertice addenda, quod de brumæ ſolſti-

tio

tio agatur. Fiet igitur diſtantia ipſius tropici Capricorni a vertice gr. 67. 58 12. En ergo rationum progreſſum:

Diſtantia tropica centri Solis a vertice hyemalis	gr. 67. 58. 12
Diſtantia tropica æſtiva	gr. 21. 1. 11
Differentia	gr. 46. 57. 1
Differentiæ dimidium, nempe obliquitas eclipticæ	gr. 23. 28. 30
Hæc diſtantiæ tropicæ æſtivæ adjecta, vel hybernæ ſubducta conficit	gr. 44. 29. 41

quæ eſt latitudo, ſive altitudo poli Bononiæ in æde D. Petronii.

Potes etiam poli altitudinem per inerrantium ſtellarum obſervationes exquirere, ejus præſertim quæ ab hoc ipſo polaris ſtellæ nomen accepit, cui obſervandæ hæc ipſa meridiana linea præſto eſt, inſtrumento quodam illi aptato, quod in hoſce uſus ſervatur. Verum de univerſa hac tum obliquitatis eclipticæ, tum latitudinis indagine pluribus infra agam, ubi & numeros hoſce hoc exemplo repertos, nimirum obliquitatis grad. 23. 28. 30, & latitudinis grad. 44. 29. 41 minime perpetuos eſſe apparebit.

Poſtquam autem duo hæc quæ præcognoſcenda erant comperta habueris, confer latitudinem loci cum diſtantia centri Solis a vertice ejus diei, quo die locum Solis in ecliptica ex obſervatione requiris, horumque arcuum duorum minorem e majori aufer, reſiduum enim erit diſtantia centri Solis ab æquinoctiali circulo, quam aſtronomi declinationem appellant; hæcque ſeptentrionalis eſt ubi diſtantia centri a vertice loci latitudine minor fuerit, meridionalis ubi major. Deinde logarithmum ſinus declinationis cum logarithmo radii in ſummam confer, atque ex ea ſubtrahe logarithmum ſinus obliquitatis eclipticæ; fietque logarithmus ſinus ejus arcus, qui a proximo æquinoctio ad centrum Solis intercedit. Si ergo declinatio ſeptentrionalis fuerit, & Sol ab æquinoctio verſus ſolſtitium tendat, hic arcus erit ipſa longitudo Solis ab initio Arietis, ſin autem a ſolſtitio ad æquinoctium progrediatur, inventum arcum aufert ex gradibus 180, ut longitudinem efficias. Quod ſi declinatio ſit meridionalis, adde ab æquinoctio ad ſolſtitium arcui illi gradus 180, a ſolſtitio vero ad æquinoctium ipſum arcum deme e gradibus 360, & utroque caſu quæſita longitudo conflabitur.

Veluti in eo exemplo, quod ſuperiori capite poſuimus, diei ſcilicet 10 Novembris 1696.

Erat diſtantia meridiana centri Solis a vertice vera	gr. 62. 1. 12
Latitudo loci nuper inventa, ſubducenda	gr. 44. 29. 41
Fit declinatio centri meridionalis	gr. 17. 31. 31
Logarithmus hujuſce declinationis cum logarithmo radii	1947874
Logarithmus obliquitatis eclipticæ nuper inventæ gr. 23. 28 30 ſubducendus	960026
Fit logarithmus diſtantiæ Solis a proximo æquinoctiali puncto	987848

Eſt

Eſt ergo hæc diſtantia	gr.	49.6.27
Addantur gradus 180, quod declinatio ſit auſtralis, & Sol per eos dies ab æquinoctio ad ſolſtitium pergat	gr.	180
Fit longitudo Solis	gr.	229.6.27
Sive Scorpionis	gr.	19.6.27

CAPUT VI.

De harum obſervationum ſerie, quemadmodum ordinata & unde deprompta fuerit.

HActenus inſtrumenti conſtructionem ejuſque uſum in Sole obſervando præcipuum ſum proſecutus. Verum ne illi qui hac obſervationum ſerie uti voluerint neceſſe habeant eas omnes quas diximus ſupputationes inire, ſingulis ſeriei obſervationibus computum adjunxi, quem tamen nonniſi ad diſtantiam veram centri Solis a vertice perduxi. Licet enim & declinationes quoque, & longitudines ad plures annos ſupputaſſem, aut ſupputandas curaſſem, tamen cum declinatio a loci latitudine pendeat, cujus menſuram nonnihil ipſam ſibi diffidentem invenimus, longitudo autem, præter declinationis incertitudinem, ab eclipticæ obliquitate, quæ minime conſtans videtur, iterum haud parum ambiguitatis contrahat, de utriuſque electione liberum cuique judicium relinquere malui.

Prima igitur ſeriei columna habet tangentem utramque eo die qui adſcriptus eſt obſervatam, ſed correctam a penumbra pro foraminis ſemidiametro, uti dictum capite III, quarum tangentium duarum prior ad limbum inferiorem ſive auſtralem Solis, poſterior ad ſuperiorem ſive boreum ſpectat: Columna ſecunda arcus exhibet diſtantiæ apparentis utriuſque ejus limbi a vertice, qui arcus in canone trigonometrico tangentibus correctis reſpondent: Tertia arcus diſtantiæ a vertice veræ, nempe a refractione, ac parallaxi expurgatæ ſecundum Caſſinianos numeros, quos capite quarto in tabella tradidimus: Quarta differentiam diſtantiæ veræ duorum limborum a vertice, ſive Solis diametrum, quanta hoc inſtrumento apparuit: Quinta denique diſtantiam veram centri Solis a vertice, ſeu veræ altitudinis complementum. Ubi advertendum in hac ſerie nullam rationem eſſe habitam vitiorum quæ interdum ſive in gnomonis foramine, ſive in lapidum libramento deprehenſa fuerunt, quibus ſane de cauſis diſtantiæ Solis a vertice, præſertim circa annum 1722, alioſque ſuccedentes, nonnihil corrigendæ ſunt. Sed de his conſule quæ infra capite XII tradam.

Singulis autem obſervationibus quæ actæ fuerant antequam egomet agere, ac ſeriem hanc concinnare inciperem, auctor eſt adſcriptus unde eas deprompſi, adjectis præterea ſi quæ ille de aeris ſtatu, aut de obſervationis ſive certitu-

titudine, ſive dubietate notaſſet. Neque tamen exiſtimandum ſingulas ab iis habitas e quorum libris, aut chartis exſcriptæ ſunt, cum & illi ſæpe ab aliis acceptas memorent, & interdum accepiſſe potuerint etiamſi non memorent. Hi porro partim eas obſervationes in operibus a ſe editis vulgarunt, veluti Caſſinus in ſpecimine obſervationum anni 1656, Mengolus in anno, Ricciolius in aſtronomia reformata, ac alii alibi, de quibus nihil attinet dicere, cum libri illi omnium manibus terantur; partim adverſariis aut ſchedis mandatas reliquerunt, quorum ego ſcriptorum aliqua autographa inſpexi, alia ab autographis me curante deſumpta obtinui, ac ex omnibus ſeriem compegi; hæc vero ſcripta quæ fuerint, & a quibus acceperim hic recenſendum duxi. Sunt autem hæc:

Schedæ atque epiſtolæ plures apud *Joannem Dominicum Caſſinum*, quibus obſervationes multæ continebantur cum ab ipſo, tum ab aliis, præſertim Auguſtino Fabrio, ac Geminiano Montanario habitæ. Haſce omnes Caſſino ipſo conſulto mihi eſt impertitus anno 1704 ſummus dum vixit Aſtronomus Jacobus Philippus Maraldus, ejus ſororis filius, cujus præſertim conſuetudini quæ multa mihi cum illo, partim coram, partim per literas interceſſit, acceptum fero ſi quid in aſtronomicarum obſervationum uſu profeci.

Auguſtini Fabrii ſcripta autographa, quæ Albertus Comes Graſſius Bononiæ Senator ab illius hæredibus ſibi tradita mecum communicavit anno 1699. Libellus erat in quo dietim obſervationes notabat & calculos longitudinis Solis ſubducebat, ac præterea ſchedæ duæ, altera manu Fabrii, altera cujus neſcio. Ex hiſce omnibus quæcumque ad rem meam erant excerpſi. Fuerat Fabrius Caſſini, dum Bononiæ doceret, auditor, eumque in obſervationibus adjuverat.

Geminiani Montanarii libellus autographus inſcriptus: *1673 calculi obſervationum Solis hinc ad præteritos annos ex heliometro Divi Petronii*. Libellum hunc anno 1705 per Virum celeberrimum Franciſcum Blanchinum a Maria Piſana Corraria Matrona Veneta exſcribendum obtinui, quippe quæ ſcripta omnia, Montanario vita functo, in domo Corrariæ gentis ab ipſo relicta ſervabat.

Obſervationes aſtronomicæ a *Petro Mengolo* partim per ſe partim per ſocios adjutoreſve habitæ, a Julio Cæſare Calcina, qui in iis erat, e ſchedis inter obſervandum exaratis deſumptæ, ac in ordinem digeſtæ, mihique ab eodem dono traditæ circiter annum 1703.

Dominici Gulielmini adverſaria, libellis quatuor comprehenſa, necnon chartæ aliquot quotidianarum ejuſdem ſupputationum loci Solis ex obſervationibus, in libellos alios compactæ. Horum omnium autographa ipſa inſpicienda mihi tradidit, ac deſcribendi copiam fecit anno 1713 Joſeph Ferdinandus Gulielminus, Dominici filius, nunc Bononienſis gymnaſii anatomicus.

Faſciculus obſervationum poſt lineæ meridianæ reſtaurationem a Caſſino, Gulielmino, aliiſve habitarum, una cum computis declinationum Solis, quos *Ignatius Uccellus*, qui ædilium magiſtratui a tabulis conficiendis erat, in dies ſingulos ſubducebat, interdum & ipſe vel ſolus, vel cum illis obſervans. Has mihi chartas dono ipſe dedit anno 1710.

Alber-

Alberti Comitis Graſſii Bononiæ Senatoris pagellæ obſervationum ab ipſo mihi impertitæ anno *1699*. Eas obſervationes ut plurimum cum Gulielmino habuerat.

Hæc quidem de obſervationibus ante illud tempus habitis quo ipſe eas quæ haberentur ſervare inſtitui; proximo enim anno quam Caſſinus inſtrumentum reſtituit, anno videlicet *1696*, cum ad hæc ſtudia animum adjeciſſem, primum Gulielmini obſervationibus frequens adeſſe, dein illo Patavium evocato ipſemet peragere, atque in ſeriem referre cæpi. Quod cum ad plures annos præſtitiſſem, neque vero perpetuo id agere poſſem, aliorum ſubinde opera uſus ſum, ac quantum in me erat curavi ne unquam certus homo deeſſet, qui id ſibi negotii datum exiſtimaret, mihique obſervationes quas habuiſſet traderet. Hi vero qui fuerint nunc ſubjiciam.

Victorius Franciſcus Stancarius analyſeos profeſſor publicus, hic cum adoleſcens aſtronomiæ ſtudio ſe addixiſſet ex anno *1697* tangentes in hac meridiana linea primum cum Gulielmino, deinde mecum notare cæpit, ac quoties adeſſe non poſſem meas ipſe vices ſupplere; Tanta enim mecum illi conjunctio erat ut neuter quicquam ſibi actum in hiſce ſtudiis putaret quin alteri commune eſſet. Ejus opuſcula mathematica ac obſervationes nonnullas, mecum ac cum fratribus meis habitas edidi anno 1713. Objerat ipſe in ætatis flore anno 1709.

Gabriel Manfredius frater, nunc & ipſe publicus analyſeos profeſſor, tum vero adoleſcens admodum, nobiſcum obſervabat, quouſque anno 1703 Romam eſt profectus. Deinde anno 1706 reverſus maximam partem earum obſervationum peregit, quæ inde ad annum 1708 in hac ſerie recenſentur.

Heraclitus Manfredius frater Medicinæ Doctor, nunc matheſeos lector honorarius, cum Stancario ac Gabriele fratre ad annum 1708 ſæpe obſervavit, aut eorum abſentium vices egit.

Antonius Leprottus nunc Clementis XII Pont. Max. archiater ſæpe cum Stancario ac Manfrediis fratribus, deinde ſolus obſervationes habuit, præſertim anno 1708.

Julius Cæſar Pariſius Aſtronomiæ ſtudioſus mihique in publico obſervatorio adjutor deſignatus, circiter annum 1710 me curante obſervare cæpit ac inde ad annum 1714 proſecutus eſt.

Paulus Balbus Medicinæ Doctor nunc Bononienſis gymnaſii anatomicus cum Pariſio primum deinde ſolus annis 1714 & 1715 rogatu meo obſervationes egit.

Joſeph Antonius Nadius Philoſophiæ Doctor Pariſio ſuffectus ut me in publico obſervatorio adjuvaret tangentes identidem notabat anno 1717 aliiſque ſuccedentibus ad 1722, quo ipſo anno obiit dum obſervatorium ædificaretur.

Joannes Baptiſta Banderius J. U. Doctor a me rogatus anno 1722 huic rei vacare cæpit atque ad annum 1724 perrexit. Obiit anno 1726 cum vix adoleſcentia exceſſiſſet.

Joannes Jacobus Parma Philoſ. Doctor ex anno 1724 ad 1730 obſervationes poſt Banderium eſt proſecutus. Proximo inde anno conſtanti adhuc ætate vita functus eſt.

Anno 1731 *Joſephum Roverſium*, juvenem mathematicis ſtudiis addictum rogavi uti obſervationes per æquinoctia ſaltem ac ſolſtitia ſibi agendas reciperet, quod deinceps præſtitit.

Anno 1733 *Andræas Celſius* Regius in Vpſalienſi gymnaſio aſtronomus, ac ſcientiarum academiæ nuper ibi erectæ a ſecretis, Bononiæ cum moraretur ex die 13 Octobris quotidie cum per tempeſtatem liceret Solem ad Divi Petronii obſervare inſtituit ad uſque diem 8 Aprilis 1734, quo die Bononia diſceſſit. Eas obſervationes mihi perhumaniter eſt impertitus cum reliquis recenſendas.

Illo autem profecto *Roverſius* iterum id ſibi muneris ſuſcepit, quo etiamnum diligenter fungitur, ejus interdum vices ſubeunte *Euſtachio Zanotto* Philoſophiæ Doctore, qui meus nunc in publico obſervatorio adjutor eſt.

Præter eos quos hactenus enumeravi nonnulli quandoque alii Solem hoc inſtrumento obſervarunt, quorum nomina ſuis quæque diebus appoſui. Arbitror autem a Caſſiniana reſtauratione vel nullam, vel paucas peractas fuiſſe obſervationes quæ ad me non pervenerint, & in hanc ſeriem relatæ non fuerint, ſi aliquot excipias circiter annos 1716 ac 1717 habitas, quarum ſchedulæ perierunt. Ante annum vero 1695 fieri poteſt ut aliquæ ſint quæ me undique inveſtigantem effugerint, opinor tamen haud multæ.

CAPUT VII.

De hujuſce inſtrumenti examine per Mengolum habito.

NUnc vero cum obſervationum certitudo non minus ab aſtronomi ſolertia quam ab exacta inſtrumenti conſtitutione pendeat, inſtrumenta autem omnia atque adeo gnomones ipſos, utcumque firmis ædificiis ſubnixos, ac initio affabre elaboratos, exiguis interdum motionibus depravari poſſe compertum ſit, poſtulat inſtituti mei ratio ut quæ quibus temporibus vitii ſuſpiciones in gnomone hoc noſtro obortæ ſint, tum vero quæ iis vitiis detegendis examina ſint peracta, quave ratione inſtrumentum redintegratum, ordine referam; ne qui obſervationes haſce præ manibus habituri ſunt quid de ſingularum fide ſtatuendum ſit ignorent, ſed ad ſua quaſque tempora referentes iis cum delectu utantur.

Ac primum ſciendum eſt lineam hanc meridianam non antea fuiſſe marmoream, & ad aquæ ſuperficiem libratam quam circiter æſtivum ſolſtitium anni 1656, id quod mihi a Caſſino acceptum Maraldus ſignificavit. Cum enim ante annos 30 ac eo amplius inſtrumenti hujuſce hiſtoriam concinnare aggreſſus eſſem, jam inde ab eo tempore de omnibus quæcumque huc pertinerent, neque libris mandata reperirem, Caſſinum ipſum adhuc ſuperſtitem vel egomet per literas conſului, vel per Maraldum, qui cum frequentior mihi erat literarum conſuetudo rogavi. Neque tamen idcirco minus certæ habendæ ſunt obſervationes illæ, quæ a prima lineæ deſcriptione, ſolſtitio videli-

cet

cet anni 1655 ad marmorum collocationem peractæ fuerant, toto enim eo temporis ſpatio canalis aqua plenus lateritiis aggeribus contentus ſecundum lineæ ductum protenſus jacuit, ac quoties Solaris imaginis limbi in lateribus notarentur, toties notæ illæ ad aquæ ſuperficiem, ac per eam ad perpendiculi punctum exigebantur. Una fuit obſervatio quæ correctione indiguerit, quæ nempe omnium prima inter opus ipſum deſcribendæ lineæ acta fuerat, cum ſcilicet linea nondum ad perpendiculi modum exquiſite commenſa eſſe poſſet; hanc vero obſervationem poſtmodum a ſe correctam Caſſinus Ricciolio tradidit, a quo eam deſumpſimus, atque in ſeriem hanc retulimus.

Primus quod ſciam de inſtrumenti vitio vulgatus eſt rumor anno 1669, aut 1670, cum Caſſinus in Galliam eſſet profectus. Suſpicioni anſam præbuerunt haud obſcura luxatæ ipſius ſacrarum ædium compaginis indicia, cum tranſverſariæ catenæ ferreæ, quibus medianæ navis fornices colligantur minime rigidæ atque intentæ, quemadmodum poſitæ initio fuerant, ſed manifeſto incurvæ viſerentur, cujuſmodi in hunc diem viſuntur. Ejus rei mentionem injecit celebris hujuſce gymnaſii mathematicus Petrus Mengolus pagina 25 ejus opuſculi, quod *de refractionibus ac parallaxibus Solis* Bononiæ edidit anno 1670, quo ipſo anno perpendiculum die 14 Julii ex centro foraminis demiſſum nonnihil ad occaſum declinaſſe, ita tamen ut regulæ ferreæ craſſitudinem non excederet, teſtatur Fabrius in libello M. S. obſervationum, huicque experimento adfuiſſe Montanarium, atque ipſum Mengolum ſuperveniſſe ait, nuſpiam tamen perpendiculi altitudinem menſuris tentatam memorat.

Ceterum longe prolixius rem hanc proſecutus eſt Mengolus libro alio quem *annum* inſcripſit, ac triennio poſt evulgavit, ubi pag. 258 gnomonis depravationem jam non conjecturis tantum conceptam, ſed menſuris una cum Franciſco Doctore Monario Centenſi actis ſibi deprehenſam, exploratamque teſtatur. Ligneam enim catenam (regulam nempe e regulis pluribus junctam) ita gracilem ut laxe per foramen tranſmitti poſſet, ex puncto verticali ad perpendiculum erexit, ac per foramen trajectæ ipſam foraminis aciem impreſſit, quo perpendiculi longitudinem adamuſſim comprehenderet, mox in pavimento reclinatam meridianæ lineæ applicuit, illud præcavens ut catena utroque poſitu maxima qua poſſet vi traheretur; eoque experimento perpendiculi altitudinem a centeſima lineæ diviſione particulis 45 deficere comperit, propterea que particularum eſſe 99955 haud amplius; Itaque tangentibus omnibus diſtantiarum a vertice, quæ hoc inſtrumento captarentur augmentum ea proportione tribuendum eſſe ſtatuit, quæ eſt 99955 ad 45. Ad hæc marmorum eorum quæ orientalem lineæ regulam compingunt, quæque ad duas perpendiculi centeſimas dimenſa fuiſſe diximus, ſingillatim poſitiones exquiſivit, ac nonnullorum ex iis initia meridionalia aliquot particulis a juſto poſitu aberrare agnovit; hæc nimirum quæ ſubjecimus:

Cen-

Centeſimæ perpendiculi in marmoribus notatæ	*Poſitus initii meridionalis lapidis contigui menſuris deprehenſus.*
94	94005
106	106005
162	161995
232	232010
234	234010
236	236010
238	238010
240	240010
242	242010
244	244010
246	246010
248	248010
250	250020

quæ tamen animadverſio nihili eſt, non enim Caſſinus initia meridionalia lapidum deinceps ſubſequentium, ſed (ſi forte commiſſuræ hiarent) extrema borealia præcedentium, quibus ipſis extremis centeſimæ adſcriptæ ſunt, attendi, & tanquam centeſimarum terminos ſpectari voluerat, cum ſcilicet regula ferrea nondum inciſuris diſtincta eſſet, quas poſtmodum, anno ſcilicet 1695 adjectas fuiſſe diximus.

Sed ad perpendiculum ut revertar, vitium illud particularum 45 minime ex recenti ob ædificii luxationem obrepſiſſe ſtatuit Mengolus (pag. 6) ſed initio, cum inſtrumentum ipſum exſtrueretur, contractum eſt arbitratus. Multorum enim teſtimonio ſibi compertum ait qualiacumque illa commotarum teſtudinum argumenta non modo ante meridianæ lineæ deſcriptionem animadverſa, verum & antea ab architectis proviſum ne id malum longius procederet; ad hæc omnem illam motus ſuſpicionem de novo opere conceptam, gnomonem vero in antiquo collocatum, cui nulla eſſet cauſa quamobrem loco cedere, ac ſubſidere debuerit.

Denique (pag. 258.) inſtrumentum jam inde ab anno 1655 corruptum ex obſervatione quadam Solis confirmat, quam obſervationem affert Ricciolius aſtronom. refor. libro primo capite 8 pag. 26. Die enim 8 Auguſti ejus anni ipſe cum Grimaldo meridianam altitudinem centri Solis ad Divæ Luciæ captavit grad. 61. 41. 29, eam vero ad Divi Petronii fuiſſe ait 61. 41. 0.; quod ita accipiendum apparet ut hic captata fuerit gr. 61. 40. 50, ſed ad Divæ Luciæ parallelum ab ipſo Ricciolio redacta augmento ſecundorum 10 (quæ parallelorum eſt differentia) ac propterea diſtantiam a vertice ad Divi Petronii fuiſſe gr. 28. 19. 10, indeque centri Solaris tangentem ibi obſervatam arguit Mengolus 53888. Huic porro particularum 6 correctionem addendam eſſe ex eo colligit quod aliis per id tempus notatis tangentibus particulas 5 aut 10 Caſſinus ipſe adjecerit (eam ſcilicet obſervationem indicat die 21 Junii 1655 habitam, quam unam poſtmodum a Caſſino correctam diximus) inde ergo fieri tangentem veriorem ex obſervatione in Divi Petronii 53894, atque ideo cen-

centri a vertice diſtantiam (apparentem ſcilicet) gr. 28. 19. 20, altitudinem vero 61. 40. 40, quæ ad Divæ Luciæ foret 61. 40. 50, cum tamen a Grimaldo & Ricciolio obſervata fuerit 61. 41. 29; quæ diſcrepantia defectum perpendiculi particularum ipſarum 45 mirifice illi comprobat; ut enim tangens veræ altitudinis gr. 61. 41. 29 nempe 185653 ad tangentem gr. 61. 40. 50, puta 185569, ita partes 100000 ad eam longitudinem perpendiculi ex qua angulus ille 61. 40. 50 deductus eſt, quæ propterea longitudo partium erit 99955, deficiens a 100000 partibus ipſis 45. Hac ergo de cauſſa omnes, quotquot in eo libro memorat, obſervationes a prima inſtrumenti conſtructione habitas ea quam diximus ratione corrigit, neque aliter quem correctas uſui eſſe poſſe contendit.

Mihi vero (ut a poſtrema hac Mengoli probatione incipiam, qua perpendiculi defectum illum partium 45 ad primam gnomonis conſtructionem referre conatur) mirari ſubit tantum geometram quantus omnium opinione ac maximo merito ſuo habitus eſt Mengolus, non animadvertiſſe ex obſervatione illa quam affert contrarium plane effici, atque ipſe vult. Eſto enim tangens centri Solis eo die in Divi Petronii gnomone notata AB (*Figura* 4.) foraminis centrum C, perpendiculum AC, radius e centro Solis per foraminis centrum directus CB. Quantacumque ergo fuerit eo tempore perpendiculi longitudo AC, certiſſimum eſt veram centri Solis a vertice diſtantiam (ſi modo refractiones ac parallaxes, quod ille fecit, ſeponamus) fuiſſe angulum ACB, ac veram ejus altitudinem ABC. Jam ſi perpendiculum a partibus 100000 (quod ipſe contendit) deficiebat quantitate aliqua, veluti CD, perſpicuum eſt obſervatorem, qui ejus rei inſcius angulos diſtantiæ a vertice atque altitudinis ex tangente AB in canone trigonometrico ſupputavit, quaſi radius ex altitudine 100000 promanaſſet, inventurum fuiſſe pro angulo ACB angulum ADB, pro angulo autem ABC angulum ABD, minorem ſcilicet diſtantiam a vertice, ac majorem altitudinem. Atqui in obſervatione per Mengolum allata oppoſitum plane accidit, altitudo enim in Divi Petronii ex tangente illa (utlibet correcta) inventa dicitur graduum 61. 40. 40; quæ ſane vel ſi decem ſecundis augeatur ob locorum diſcrimen, veram tamen altitudinem (a Ricciolio videlicet ad Divæ Luciæ definitam) adeo non excedit, ut ſecundis 39 ab ea deficiat. Tam longe ergo a vero abeſt ea obſervatione evinci perpendiculum jam inde ab anno 1655 juſto fuiſſe brevius particulis 45, ut potius, ſi ex illa judicium ferendum ſit, tantumdem juſto longius prodeat. Sed videlicet minime æquum eſt ex unius obſervatiunculæ fide inſtrumenti tam exſquiſito ſtudio confecti fidem in dubium revocari, cum vel alteruter, vel uterque obſervator exiguum quiddam errare potuerit; ac ſane neque illius obſervationis ad Divi Petronii actæ auctorem Ricciolius memorat, neque, quod ſolet, tangentium ipſarum numeros conſignat, e quibus fallacia, ſi qua irrepſerat, detegi fortaſſe poſſet, neque vero egomet dum haſce obſervationes colligerem eos numeros uſpiam nanciſci potui, ut propterea neceſſe ſit ignorari & a quo, & quam diligenter habita obſervatio fuerit.

Sed hæc quidem eo pertinent ut appareat quam nullo fundamento Mengoli ſuſpicio nitatur de gnomonis altitudine perperam initio conſtituta. Ex hoc

por-

porro conſequitur defectum illum perpendiculi a Mengolo menſuris ſuis taxatum partium 45, ſi modo ullus erat, depreſſæ potius poſt inſtrumenti fabricam templi teſtudini tribuendum. Sed eum nullum revera fuiſſe facit ut abſque Mengoli injuria dubitare liceat examen gnomonis aliud per id temporis a Montanario habitum, de quo proximo capite dicam.

Caput VIII.

De examine alio quod a Montanario eſt habitum.

QUam ſolerter atque accurate hujuſce inſtrumenti ſtatum expenderit Geminianus Montanarius, egregius in Bononienſi Schola mathematum profeſſor, haud melius declarare me poſſe arbitror quam ſi ejus ad Caſſinum epiſtolam, cujus exemplum a Maraldo accepi, e vernaculo idiomate quo ſcripta eſt, verſam hic ſubjungam. Data eſt Bononiæ die 8. Februarii 1673.

Ut primum accepi literas tuas animum ad ea adjeci quæ maxime neceſſaria arbitratus ſum uti hanc meridianam lineam adverſus Zoilos hoſce vindicarem; cujus rei oblata eſt occaſio cum vir nobilis Franciſcus Andreæ Neapolitanus, celebris in ea urbe juriſconſultus, idemque omni literarum genere ornatus, Romæ, Florentiæ, ac tota Italia notiſſimus, Bononiæ degeret, ubi ad menſem eſt diverſatus. Primum ergo privatim cum Auguſtino Fabrio, ac cum adoleſcente quodam, qui curatoribus ædis Divi Petronii a rationibus ſcribendis eſt (is adoleſcens intima familiaritate Mengolo eſt conjunctus, ac cum ipſe viſurus quæ agerentur ſponte ſe nobis inſinuaſſet, non renuimus, quando præſertim nil agi poterat quin ipſe reſciſſet) cum hiſce ergo perpendiculum, catena e regulis ligneis nexa dimenſi ſumus, ejuſque altitudinem quam exactiſſimam invenimus, tametſi nonnulli vulgaverant Mengolum ejuſmodi catena uſum diſſidium in eo inveniſſe partium 40. Ubi ſummum hunc conſenſum perſpexi, Senatores plures, alioſque amicos aut horum ſtudiorum curioſos viros invitavi, in quibus Franciſcum illum Andreæ, qui Auzouto valde amicus eſt, ac coram his fabulam, quod ajunt, apparatu ſcenico egi, iis omnibus peractis quæ ſubnexa epiſtolæ huic narratio continet, quam narrationem non ſtatim ad te miſi, quod nondum libramenta ſupputaſſem, neque ſcriptum ipſum abſolviſſem. Ceterum inter experimentum ipſum capiendum ſingulis qui aderant omnium quæ agerentur cognoſcendorum poteſtatem feci, nec quicquam in ſcriptum retuli quin antea adſtantes omnes elata voce interpellaſſem res ne ita eſſet; quapropter narro tibi: experimentum hoc & pluribus os occluſit, & inter Senatores, atque adeo inter omnes rumorem virtuti tuæ valde ſecundum excitavit. Nunc ad concinnandum opuſculum quoddam materiam præparo. In eo opuſculo fabricam Gnomonis, ejuſque uſum, examen ac defenſionem necnon obſervationes eo habitas complecti cogito. Titulus erit ferme ejuſmodi: Bononienſis meridiana, ſeu Caſſinianus Gnomon in Divi Petronii æde Bononiæ erectus, a G.M. deſcriptus explicatus expenſus ac vindicatus, adjectis.

jectis.... centuriis obſervationum eo actarum &c. *Habes ex titulo quæ mihi abs te ſuppeditari opus ferat, præſertim de inſtrumenti uſu. Illud inter cetera ſuccurrit ut paulo explicatius doceas de obſervatione tua circa telluris ambitum iſthic habita. Ad hæc cum de poli altitudinibus agere cogitem, quas altitudines Monarius ſingulis annis alias eſſe vult, atque ex eo eclipticæ mutationes explicat, quam cum Ricciolio immobilem ponit, velim obſervationem Uranoburgi habitam tuaſque de illa meditationes ad me mittas tum vero quæcumque potes alia de re hac univerſa; quamquam eſt ſane unde horum ſententia labefactetur ex variata tropicorum diſtantia, quæ vel ſi poli altitudo mutetur maximam nihilominus declinationem mutari oſtendit. Item de his quæ ad apogæum attinent, quod in operibus tuis an immotum ſit dubitare te ſignificas &c.* Narratio autem cujus in epiſtola meminit eſt hujuſcemodi.

Anno 1673. Januarii 30 ſubſequenti veſpera in Divi Petronii Bononiæ, præſentibus Achille Volta, Angelo Michaele Vaſtavillano Antonio Bovio Senatoribus, necnon Comite Valerio Zano, Andræa Bovio, Doc. Uliſſe Gozzadino, Abate .... Graſſio, Doctore Franciſco Andreæ, Auguſtino Pinchiario Bononienſis Provinciæ a litibus judicandis, Paride Maria Grimaldo, Doctore Caſpare Linder, ... Sega, Doctore Manzio, Archipresbytero Victorio, Doctore Marcello Malpighio, Doctore Auguſtino Fabrio, aliiſque plurimis.

Doctor Geminianus Montanarius ut gnomonis, a clariſſimo viro Jo: Dominico Caſſino in ea æde conſtructi ſtatum recognoſceret primum ex centro foraminis gnomonis, quod eſt in teſtudine navis orientalis filum demiſit, ac de eo ferreum globum ſuſpendit unciarum circiter 13 ſemis pondo, cui globo adferruminata erat cuſpis deorſum ad perpendiculum ſpectans ut in ſchemate (Fig.5.); globo autem poſt plures circuitus atque oſcillationes ad quietem redacto, manifeſto apparuit centrum gravitatis globi innuere ipſum initium lineæ meridianæ ad duas tertias craſſitudinis regulæ ferreæ occidentem verſus, ac propterea a medio regulæ ſexta haud amplius ejus craſſitudinis parte declinare, quod nullius eſt momenti.

Poſthæc catenam e pluribus regulis ligneis inter ſe ſe confixis, ac circa juncturas diductilibus compactam ad foramen uſque attollendam ut ejus laminam tangeret, eoque loco ſiſtendam ac firmiter alligandam curavit. Dehinc catena ſibi relicta ut libere penderet, eaque nonnihil vibrata, atque attracta, ad duas horas exſpectatum quo in juncturis probe diſtenderetur. Tum vero agnitum eſt catenæ longitudinem minorem eſſe altitudine perpendiculi, quod a lamina ad punctum illud in pavimento pertinet, quanta eſt craſſitudo julii argentei, ac ſemioboli ærei, quæ altitudinis totius partes ſunt centeſimæ milleſimæ haud amplius novem; itaque explorata laminæ craſſitudine, eaque inventa partium 6, ac dimidio novem illis partibus adjecto, fiebat defectus catenæ a gnomonis perpendiculo partium omnino duodecim. Demiſſa igitur catena eaque ſecundum meridianam lineam extenſa ac valide attracta, ut tenſionem eandem ſervaret, quam ſuſpenſa habuerat; primum animadverſum eſt cum ad ejuſmodi ſtatum redacta foret, quantacumque deinceps vi traheretur non plus in longitudinem diſtendi poſſe quam craſſitudine numi argentei capitati (ut teſtone *) ac cum iterum ſibi relinqueretur ad priorem dimenſionem reverti. In eo itaque ſtatu qui ipſi naturalis eſt non ſine omnium admiratione patuit illam particulis adamuſſim duodecim (hoc eſt ſumma ex julio argenteo, ſemiobolo*

æreo, & dimidia laminæ craſſitudine) deficere, quominus quinquaginta lapidum, ad duas perpendiculi centeſimas dimenſorum, longitudinem æquaret; id quod omnibus quotquot aderant ſuis oculis intueri, ac utrumque catenæ caput diligenter quantum vellent una recognoſcere licuit; nec quiſquam fuit quin hunc tantum dimenſionum conſenſum ſummopere admiraretur, cum inſtrumentum ante annos 17 conſtructum ne ad julii quidem argentei craſſitudinem vitiatum cerneret.

Pergit poſthæc Montanarius & meridianæ lineæ librationem eadem nocte a ſe peractam, dum catena de foramine penderet deſcribit, quo opere defectus aut exceſſus ſecundum altitudinem punctorum aliquot lineæ a perpendiculi puncto deprehendit, eos tamen non valde notabiles, quemadmodum in tabella hic ſubjecta apparet, cui & correctiunculas adjeci diſtantiis a vertice ea ex cauſa adhibendas; reliqua vero lineæ puncta præter hæc recte omnia habere comperit aut certe a recto aberrare minus una particula quod ad obſervationes nihil eſt.

Centeſimæ altitudinis perpendiculi in linea meridiana.	*Libramenti vitium.*	*Correctio adhibenda diſtantiis a vertice.*
	Particulæ.	*ſec.*
60	6 alt.	6 ad.
66	4 alt.	3 ad.
80	5 depr.	4 ſub.
106	13 depr.	14 ſub.
114	13 depr.	14 ſub.
126	9 depr.	9 ſub.
138	7 depr.	7 ſub.
148	7 depr.	6 ſub.
156	2 depr.	2 ſub.
176	2 depr.	2 ſub.
182	14 depr.	12 ſub.
190	9 depr.	8 ſub.
200	1 alt.	1 ad
212	3 alt.	2 ad.
224	6 depr.	5 ſub.
232	6 depr.	5 ſub.
250	6 depr.	4 ſub.

Sciendum eſt autem librationem hanc in regula meridianæ ferrea a Montanario peractam non in marmoreis, ſecus atque egomet opinatus eram, atque adeo ſcripto mandaveram in enarratione poſtremi examinis hujuſce inſtrumenti a me habiti anno 1722, quæ enarratio extat in commentariis Bononienſis ſcientiarum inſtituti ante annos aliquot editis. Ex eo fieri poteſt ut correctiunculæ diſtantiarum a vertice, quas in hac tabella tradidi minime exactiſſimæ ſint; verum de hoc infra agam quum poſtremum illud inſtrumenti examen hic denuo referam.

Ceterum quod perpendiculi longitudinem ex medio craſſitudinis laminæ, in qua foramen eſt, Montanarius deſumpſerit, quaſi in medio illo plano foramen ejuſque centrum ſpectandum eſſet, neſcio quam recte factum; nam quantum ex Caſſini diſſertatione anno 1695 de hoc inſtrumento edita colligo (pag. 9.) planum ipſum foraminis neque in medio craſſitudinis laminæ, neque uti nunc, in infimo ejus plano, ſed in ſupremo poſitum fuerat, ubi conica illa apertura in anguſtum deſinebat. Verum hæc differentia nonniſi particulis tribus perpendiculi longitudinem majorem efficit, quam quæ a Montanario ſumpta fuit, quod parvi eſt momenti.

Jam vero quid de duabus hiſce inter ſe ſe tam aperte pugnantibus Mengoli ac

ac Montanarii dimenſionibus ſtatuendum eſſet diu anceps hæſi, quod neutri clariſſimorum virorum fidem adhibere poſſem quin alterius aut dexteritati, aut ſolertiæ, aut etiam fidei detraherem; neque hæc ſane dubitatio modicum ad obſervationum uſum momentum habebat, cum alterius examen perpendiculum particulis 45 juſto brevius oſtendat (id quod ſcrupuli unius primi cum triente in diſtantia Solis a vertice differentiam inducere quandoque poteſt) alterius vero nihil quicquam deficere, quinimo (ſi quæ paulo antea dixi attendantur) particulis tribus abundare evincat; neque vero hæc a temporum diverſitate conciliari poterant, cum Montanarii experimentum, quemadmodum ejus literæ teſtantur, poſt Mengoli dimenſiones ſumptum fuerit, niſi forte exiſtimamus perpendiculum eo temporis intervallo in priſtinum juſtumque poſitum nullius ope ſe ſe reſtituere potuiſſe.

Sane ut Mengolo aſſentirer facere videbatur Caſſini ipſius teſtimonium, qui inſtrumenti hujuſce viciſſitudines in ea quam ſæpe memoravi hiſtoria (pag. 17) enumerans, perpendiculi depreſſionem a Mengolo & Monario annis 15 poſt gnomonem conſtructum inventam, ac particulis 45 taxatam, ſubinde vero foraminis laminam non ante annum 1689 a Gulielmino reſtitutam memorat, de Montanarii vero examine anno 1673 habito nihil memorat. Cum ergo ea res animi ſuſpenſum me haberet, Caſſinum uti ſolebam anno 1704 per Maraldum de eo rogavi, Maraldus hæc reſpondit: *Quæ Caſſinus in tractatu de meridiana iſta linea ſcripſit pag. 17 & 18 circa gnomonis altitudinem, particulis 45 immutatam, ex Mengoli & Monarii relatu ſcripſit, quem certum arbitrabatur, neque tunc illi ſuccurrit memoriæ Montanarii ad ipſum epiſtola anni 1673. Ex hac liquet Montanarium ſummo ſtudio ac coram pluribus viris præcipuis eam altitudinem expendiſſe, & exactam comperiſſe. Montanarii experimentum nonniſi poſt illud tempus ſumptum eſt quo tempore Mengolus ea de inſtrumenti vitio per civitatem vulgaverat, quæ deinde libro ſuo inſeruit. Epiſtolam Montanarii ad Caſſinum hic habes.*

Manifeſtum eſt igitur nihil momenti ad Mengoli aſſertionem a Caſſini auctoritate accedere poſſe, quando Caſſinus in ea re Mengoli ipſius auctoritatem eſt ſequutus. Neque vero mirum cum tanto temporis intervallo illam gnomonis ſui hiſtoriam conſcriberet, aliqua illi excidiſſe, quæ ad rerum potius geſtarum tempora diſtinguenda, quam ad ipſarum veritatem cognoſcendam attinerent. Vere enim dixit vitium in perpendiculo inventum, hocque a Guglielmino reſtitutum, ſed cum Montanarii examen memoriæ tunc illi non obverſaretur, vitium illud ad Mengoli tempora retulit, quod tamen nonniſi poſt aliquot annos contrahi potuit, & demum a Gulielmino deprehendi. Et vero nullum ejuſmodi vitium fuiſſe anno 1673, quin etiam circiter annum 1679, obſervationibus ipſis inter ſe ſe collatis (quando certior ratio occurrebat nulla) eviciſſe me arbitror, quemadmodum inferius oſtendam; jam enim experimentorum hiſtoriam proſequor, & ad Gulielmini tempora pergo.

Caput IX.

De gnomone per Gulielminum expenſo, ac reſtituto.

EVolventi mihi obſervationes omnes hoc heliometro a Montanarii examine deinceps habitas quaſcumque vel autographas reperi, vel ab aliis deſcriptas accepi nihil ad plures inde annos invenire contigit quod ullam de inſtrumenti labe ſuſpicionem ab iis qui obſervationes agerent conceptam ſignificaret. Neque ex eorum tantum ſilentio conjecturam feci, quæ fallax eſſe poterat, ſed ex aſtronomicis calculis qui multi in iis autographis occurrunt, quique dietim ad exquirendam Solis longitudinem ſubducebantur, manifeſto perſpexi quam firma illis eſſet de recto gnomonis ſtatu perſuaſio, cum nullam tangentibus obſervatis correctionem uſpiam adhibitam invenirem (ſi eam quæ a foraminis diametro pendet excipiamus) quæ tamen neceſſario aliqua adhibenda fuerat ſi inſtrumentum corruptum, ac præſertim foramen particulis illis 45 a Mengolo definitis collapſum opinarentur.

Prima mihi vitiati gnomonis occurrit mentio ad diem 8 Julii 1684 in adverſariis Dominici Gulielmini, inſignis in Bononienſi gymnaſio mathematici, perpetua mihi memoria recolendi, quod meus in hiſce ſtudiis inſtitutor fuerit. An autem menſuris ab ſe actis id deprehenderit, an alia quapiam ratione conjecerit certo affirmare non poſſum, nulla enim nota diei illi adſcripta eſt alia niſi hæc: *S: P: guaſta* ſcilicet: *in meridiana Sancti Petronii depravata;* facile tamen inducor ut exiſtimem Gulielminum ab obſervationibus ipſis, quas per eos dies habebat edoctum inſtrumenti corruptelam agnoviſſe, illæ etenim a Caſſiniana Solis longitudine (cui aliæ antea habitæ quamproxime reſpondere conſueverant) magis diſſident quam ut poſſit ſive obſervandi fallaciis, ſive computi quo longitudo inquiritur elementis imputari.

Eo autem certius de hac re judicium ferre potuit Gulielminus quod alius illi id temporis gnomon præſto eſſet, quo Solem iiſdem diebus vel ipſe vel per ſocios obſervans inſtrumenta inter ſe ſe conferret. Etenim jam inde ab anno 1674 in ædibus patriciæ gentis Vaſſæorum a Petramellaria meridianam aliam lineam Caſſinianæ ſimilem licet perpendiculo longe breviori aptatam duxerat Montanarius, quam Jo: Antonius Vaſſæus Senator eleganti opere marmoreo atque æreo exornaverat. Erat præterea in illis ædibus horologium oſcillatorium, & quadrantale inſtrumentum ſideribus obſervandis, & aſtronomica ſupellex alia. Ejus rei gratia Montanarius ipſe, Mengolus, Gulielminus ſæpe illuc accedere, nocturnas etiam obſervationes Lunæ aut ſtellarum inſtituere, præſertim vero meridie tangentes limborum Solis ex ea linea notare conſueverant, quarum obſervationum aliquot in eorum adverſariis aut ſchedis inde deſcriptis inveni; eas in primis quæ eo ipſo menſe Julio anni 1684 actæ fuerant, quum magna Solis eclipſis immineret. Sunt autem tangentes correctæ diei 6 Julii eo gnomone 40615, & 39580, e quibus diſtantia centri Solis a vertice

ex

ex refractionibus & parallaxibus Caſſinianis emendata ſit gr. 21. 51. 17, quæ porro ex tangentibus eodem die ad Divi Petronii notatis colligitur gr. 21. 52. 11, quemadmodum infra in earum ſerie apparet; unde longitudinem Solis elicuit Gulielminus gnomone Vaſſæano grad. 15. 1. 57 Cancri, nempe unico ſcrupulo majorem Caſſiniano Mezzavacchæ computo grad. 15. 0. 36, cum ex tangentibus ad D. Petronii obſervatis prodeat decem fere ſcrupulis major nempe gr. 15. 10. 1, atque eadem præterpropter diſcrimina exiſtunt e ſuccedentium dierum obſervationibus. Hoc ergo, opinor, indicio Gulielminus gnomoni qui ad D. Petronii eſt, aliquam illatam labem ſenſit, ac notam illam diei 8 Julii adſcripſit.

Quo autem vitii genere inſtrumentum id temporis depravatum eſſet, aut quampridem illi id quodcumque erat corruptelæ accidiſſet, facit obſervationum paucitas ut & inveſtigatu ſit difficile, & tamen minus neceſſarium. Equidem veroſimile mihi fit haud unam errorum fuiſſe cauſam, nec tantum in foraminis lamina ſed & in linea ipſa quærendam, dum perpetuo hujuſce attritu alii lapides ſenſim deprimerentur, alii fortaſſe exſilirent, neque eum ſervarent poſitum quo ſinguli ad aquæ ſuperficiei libramentum exacti fuerant, quod malum a Montanario jam anno 1673 in regula ferrea, uti diximus deprehenſum, ac forte temporis decurſu auctum, obſervatoribus perſpectum eſſe potuit, licet non ante annum 1684 adnotatum. Plane poſt annum 1676 obſervationes hoc gnomone ad 1679 perraræ ſunt, inde vero ad 1684 prorſus nullæ, ac rurſum ingens inde eſt lacuna ad annum uſque 1690, cum tamen toto eo tempore plures ad Vaſſæorum gnomonem habitas fuiſſe appareat, quaſi ejus qui ad Divi Petronii eſt uſum, ob ſuſpectam ejus fidem paulatim intermiſiſſent.

Utcumque ſit, minime dubium eſſe poteſt quin anno 1689 centrum foraminis a perpendiculo per initium meridianæ lineæ ducto nonnihil detortum, atque una depreſſum foret, quando id ſibi perſpectum, ac propterea laminæ reſtituendæ negotium ab ædilium magiſtratu ſibi demandatum fuiſſe, idque eodem anno effectum ſe dediſſe teſtatur Gulielminus in appendice ad Caſſini diſſertationem anno 1695 editam, pag. 38. Hoc tamen ita interpretari licet ut ſtatim quidem operi manum admoverit, ſed non ante proximum annum abſolverit. In ejus enim autographis ad diem 13 Aprilis 1690 *perpendiculum juſto brevius eſſe, ac fortaſſe laminam in qua foramen eſt, nonnihil ad auſtrum vergere* diſerte notat; ad diem vero 27 ejuſdem menſis *radium certiſſime breviorem, nec vero laminam horizontalem eſſe memorat*; Kalendis Juniis *centrum foraminis ſuo loco* (opinor in perpendiculi directione) *poſitum, ſed differentiam altitudinis cenſeri particularum decem;* poſtridie ejus diei *gnomonem quatuor particulis altiorem ait*; die 6 etiamnum talem eſſe confirmat, denique die 10 Junii in adverſariis: *gnomone*, inquit, *recte, ut videtur conſtituto*, & in libello alio in quo dietim computum ex obſervationibus inire ſolebat, quæ ad eum diem ſpectat actam ait *gnomone recte ſe habente quoad omnia*. Quibus omnibus manifeſtum fit Gulielminum per id temporis perpendiculo reſtituendo operatum, denique paulo ante diem 10 Junii 1690 ſupremam huic manum impoſuiſſe.

Etſi

Etſi vero ſublatum erat perpendiculi vitium, illam tamen quam dixi marmorum labem & agnoſcit, & etiamnum manſiſſe in ea appendice memorat, ac propterea correctione aliqua identidem opus fuiſſe ait, quo tangentium, quæ deinceps notatæ ſunt menſuræ ad idem cum perpendiculi puncto libramentum redigerentur; quarum ſane correctionum nulla certa tradi poteſt ratio, quod lapidum a recto poſitu deviationes aliis lineæ partibus aliæ, quibuſdam etiam nullæ eſſe poſſent; neque vero aliter quam librationibus exploratas arbitror ſi quando ad obſervationes corrigendas earum deviationum ratio eſt habita; neque ei incommodo occurſum eſt ante annum *1695*, quo Caſſinus in Italiam reverſus inſtrumentum ex integro inſtauravit, uti jam exponam.

Caput X.

De inſtrumento per Caſſinum redintegrato.

CUm ergo in eo ſtatu res eſſet accidit ut Caſſinus in itinere quod e regia academia Pariſienſi, obſervationes aſtronomicas per Italiam habiturus ſuſceperat anno *1694* Bononiam, ex annorum ſex & viginti intervallo repeteret. Ubi in hanc urbem venit nihil illi fuit antiquius quam præclarum hocce artis ſuæ monumentum inviſere deque ejus ſtatu cognoſcere. Opportune factum ut quo tempore Sevirorum Magiſtratus ejus reſtituendi cum neceſſitatem agnoverat, tum conſilium agitabat, Caſſinus ipſe & adeſſet, & nihil magis optaret. Illi ergo cura eſt demandata. Erat cum eo Jacobus ejus filius, magna tum ſpe adoleſcens, nunc (quod Pater ætate ſua fuit) aſtronomorum ætatis noſtræ facile princeps; ejus igitur ac Gulielmini auxilio ad opus eſt aggreſſus.

Primum ut inſtrumenti per illud tempus conſtitutionem agnoſceret, perpendiculi altitudinem expendit, invenitque foramen nonnihil iterum a Gulielmini reſtitutione collapſum, nempe (quantum ex nota conjicere licet, quam notam Gulielmini adverſariis ad Kalendas Februarias *1695* adſcriptam inveni) depreſſum particulis 40. Adhæc, Caſſino ipſo teſte, ejus foraminis centrum occaſum verſus detortum erat particulis 30, id quod indicio eſſe ait laterales teſtudines medianarum motui obſecundaſſe, quas in ſe ſe arctatas atque compreſſas e ferrearum catenarum eas colligantium curvatura arguit. Ad lineæ vero lapides quod attinet, qui illorum ſtatus inventus fuerit declarat Gulielmini nota alia, quam ex iiſdem adverſariis exſcriptam ſubjeci: *Die 21 Decembris* 1694 *D. Caſſinus expendit planum meridianæ lineæ, invenitque in locis ſolſtitiorum & æquinoctiorum in eadem libella cum ipſius lineæ initio, verum e regione columnarum deprimitur particulis* 31 *vel* 32 *perpendiculi, & paulo minus ad partem auſtralem columnæ borealis.* Jacobus quoque Caſſinus in itinere Italico (editum hoc eſt in 7. volumine monumentorum veterum Regiæ Pariſienſis academiæ anno *1729*) non aliam lineæ depravationem quam juxta co-

lum-

lumnas illas inventam innuit. Caſſinus vero pater in reſtaurationis hiſtoria addit lapides eos, qui juxta columnas duas ſunt poſiti omnium fere maxime depreſſos fuiſſe, cum aliorum nonnulli etiam a poſitu priſtino elati exſtanteſque apparerent. Idipſum vitii, quod columnarum viciniam ſpectat, librationibus ſuis in ferrea regula deprehenderat Montanarius, ac particularum 13 vel 14 taxaverat, uti in tabella capite 8. tradita manifeſtum eſt, columnarum etenim altera ad centeſimas præterpropter 106 & 114, altera juxta 182 incidit, quibus locis maximam ille depreſſionem invenerat; unde argui poſſe videtur pavimentum columnarum atque adeo teſtudinum pondere prægravatum ſenſim ſubſediſſe.

His compertis, quando opus a certo aliquo horizontali plano ex arbitrio ſtatuendo, ac meridianæ lineæ deſtinando inchoandum erat, ſatius duxit Caſſinus infimum illum poſitum eligi, quem præterpropter lineam juxta columnas teſtudinum pondere depreſſam accepiſſe invenerat, lapideſque omnes reliquos eouſque deprimi, ne ſi linea altior collocaretur majus periculum eſſet ne loco iterum cederet. In eo igitur poſitu infimo lapides ſingulos marmoreæ utriuſque regulæ, ad aquæ conſiſtentis ſuperficiem libratos ſtatuit, ac quo firmiores eſſent lateribus minime ſtratis, ſed rectis gemino ordine poſitis hinc inde ſtipandos curavit, illud præſertim cavens ut neque lineæ directio quicquam immutaretur, & ſingula lapidum extrema juſtam a perpendiculi puncto, lineæque initio diſtantiam, adſcriptis numeris indicatam ſervarent; priſtinam enim ab eo initio ad centrum foraminis perpendiculi menſuram, atque adeo & centeſimarum dimenſiones ipſiſſimas retineri placuit. Addit Gulielminus poſt lapides in horizontalem ſitum compoſitos ferream quoque regulam ipſis coæquatam, quod ita accipiendum eſt ut quoad ejus fieri poſſet curatum fuerit; non enim regula illa marmorum plano examuſſim tota æquari poterat, quod ſuperficiem minime ut marmora lævem & expolitam habeat, ſed nonnihil ſinuatam, licet hoc ob exiguas, ac fere inſenſiles devexitates ægre oculis diſtingui poſſit. Præſertim vero cautum fuiſſe arbitror ut ipſum regulæ ferreæ initium, a quo perpendiculum ſurſum ad centrum foraminis erigendum erat in eodem cum marmoribus horizontis plano exacte ſtatueretur.

Ubi linea reſtituta eſt, foraminis planum tanto inferius ab antiquo poſitu ſtatui oportuit, quanto lineæ ipſius planum depreſſum fuerat, quo priſtina perpendiculi altitudo ſervaretur. Foramen ergo in nova lamina excavatum eſt, figura uti diximus conica, anguſtiori parte deorſum ſpectante, qua parte ejus diameter centeſimas milleſimas particulas centum comprehendit. Tum vero e regulæ ferreæ initio erecta regula alia lignea e tribus aſſerculis compacta, ac lamellis duabus orichalcicis ab imo, & ſummo inſtructa, cujus regulæ longitudo centum partes ipſas primas ex linea comprehenderet, eouſque depreſſa eſt lamina ut inferiori ſui plano ſuperius regulæ caput tangeret. Denique demiſſo e centro foraminis perpendiculo lamina horizontali motu eo adducta eſt unde perpendiculi directio in ipſum caput regulæ ferreæ, ejuſque craſſitudinis medium incideret; id autem vaſe cubico aqua pleno exploratum, cujus baſeos centrum initio lineæ congruebat, perpendiculum enim in aqua exceptum poſtquam ab oſcillando conquieſceret per plani ſuperioris centrum,

filo-

ſilorum duorum ex angulis intentorum interſectione deſignatum, dirigi apparuit. In eo demum poſitu lamina helicibus eſt obfirmata. Horum omnium peragendorum rationem, atque artificium univerſum accurate Gulielminus deſcripſit in appendice illa cujus ſæpe memini, ubi & inſtrumenta ſingula in hoc opus adhibita iconibus expreſſa viſuntur. Ea inſtrumenta ipſa in hoſce uſus ſervari ab ædilibus ſcitum eſt.

Denique ne qua deinceps in menſuris tangentium ex hac linea promendis ambiguitas oriretur, quod regularum marmorearum, præſertim orientalis, lapides aliqui temporis decurſu attriti, atque exeſi terminos haud ſatis definitos haberent, regulam ipſam ferream ad ſingulas altitudinis centeſimas inciſuris diſcriminandam curavit, novamque laminam ad caput lineæ ubi nunc extat ſtatuendam, qua lamina partes altitudinis centeſimæ milleſimæ non ut antea denæ, ſed ſingulæ dignoſci poſſent; utrumque exſquiſita arte effectum.

Ceterum cum ea ætate celebris inter geographos agitaretur quæſtio an terreſtrium meridianorum certa eſſet ac conſtans directio, an vero, quod nonnulli ex antiquarum obſervationum cum recentioribus collatione ſuſpicabantur, aliis temporibus alia, periculum illi facere lubuit de hac linea num annorum quadraginta, qui a prima ejus deſcriptione effluxerant, intervallo quidpiam a cæleſti meridiano declinaſſet. Cum ergo ineunte anno 1695 Januario menſe ac Februario matutinas aliquot Solis altitudines, ac promeridianas totidem iis reſpondentes captaſſet, atque ex earum temporibus horologio oſcillatorio notatis ipſum meridiei tempus elicuiſſet (correctiuncula non neglecta quam Solaris motus obliquitas per eos dies poſtularet) tempus hoc cum eo tempore contulit, quo ſingulis illis diebus ex appulſu Solaris ſpeciei ad lineam, ejuſque inde exceſſu, ſpeciem ipſam a linea biſſectam fuiſſe arguerat; neque uſquam diſſidium reperit quod unum vel alterum ſcrupulum ſecundum excederet, propterea lineam meridiano adhuc mire congruere agnovit.

Univerſæ porro reſtitutionis hujuſce opus ſub æquinoctium vernum anni 1695 abſolutum eſſe Gulielmini autographa declarant; ad diem enim 19 Martii adſcriptum eſt in adverſariis *poſt reaptationem perfectam gnomonis D. Petronii*, & in libello ſupputationum diurnalium Solis: *reſtituto gnomone Divi Petronii per D. Joannem Dominicum Caſſinum prima obſervatio fuit die 19 Martii 1695*. Etſi enim in adverſariis ad diem 23 Junii notat lapidem illum in quo tangens limbi inferioris excepta eſt, juſto depreſſius eſſe particulis 7, id tamen caſu aliquo lapidi huic poſtmodum accidiſſe arbitror perfecto jam opere, neque ejuſmodi ſuſpicionem ad reliquos pertinere.

CA-

Caput XI.

De poſtremo inſtrumenti examine quod anno 1722 *eſt habitum.*

QUæcumque mihi de hoc inſtrumento deinceps enarranda reſtant, jam non ex aliorum ſcriptis, ſed e propria memoria meiſque pagellis repetenda erunt. Cum enim inter hanc ſeriem ordinandam obliquitatem eclipticæ ac poli altitudinem e ſolſtitialibus obſervationibus quotannis exquirere cæpiſſem, utramque autem neque antiquioribus obſervationibus hac linea habitis exacte reſpondere, nec vero ſingulis annis ſibi conſtare manifeſto perſpexiſſem, de obliquitate quidem eclipticæ minus mirabar, quod eam multorum aſtronomorum ſententia mutabilem eſſe noſſem, de poli autem altitudine quid ſtatuerem hærebam, majora enim mihi videbantur diſſidia quam ut obſervandi fallaciis tribui poſſent, & porro conſtans quædam in ea inconſtantia ratio faciebat ut ne refractionum quidem viciſſitudinibus id adſcriberem, ſed, quod unum reliquum erat, inſtrumentum aliquid denuo vitii feciſſe ſuſpicarer. Id vero præſertim animo mihi inſederat ex anno *1699* quo per menſem Auguſtum ac Septembris initium noveram templi concamerationem architectorum ſuaſu in angulis teſtudinum ab incumbis ſuperius materia oppletam, quo latera firmiora eſſent, inde enim fieri potuiſſe conijciebam ut in teſtudinibus atque adeo in foramine Solem admittente commotio aliqua contigiſſet. Suſpicionem auxerunt anno 1702 obſervationes Romæ interea habitæ gnomone alio permagno ac celebri, quem ſummi aſtronomi Franciſcus Blanchinus ac Jacobus Philippus Maraldus proximo ante anno, Clementis XI. P.M. auctoritate ad thermas Diocletiani ſtatuerant, quarum obſervationum numeros ubi cum Bononienſibus conferrem differentias diſtantiarum Solis a vertice minime eaſdem nanciſcebar, ſed aliis anni diebus alias; quod illuc pertinebat ut præter perpendiculi labem libramentum etiam Bononienſis lineæ alicubi luxatum eſſe poſſet.

Cum ea res multos annos anxium me habuiſſet, ut denique mihi ſcrupulum hunc evellerem anno 1722 menſe Junio gnomonem iterum ipſemet expendere volui, facta ejus rei ab Ædilium magiſtratu poteſtate, ac omnibus ſuppeditatis inſtrumentis, quæ a Caſſiniana reſtauratione penes eos ſervabantur. Examini adfuerunt, atque adeo operam contulerunt viri ſtudiorum omnium, ac matheſeos in primis laude præſtantiſſimi Antonius Leprottus, nunc Summi Pontificis Clem. XII Medicus, Jacobus Bartholomeus Beccarius Bononienſis gymnaſii anatomicus, Franciſcus Zanottus philoſophiæ in eodem gymnaſio profeſſor, nunc & ſcientiarum inſtituto a ſecretis, Joſeph Antonius Nadius mihi in publico obſervatorio adjutor deſignatus, Joannes Jacobus Parma, Joannes Baptiſta Banderius, Joſeph Bolſius Marcheſius, Dominicus V Veber, Carolus Hebert Monachus Hieronymianus, aliique nonnulli qui hujuſcemodi

ſtudiis delectabantur. Neque vero ejus examinis enarrationem hic repetam, quæ in commentariis inſtituti ſcientiarum ante annos aliquot vulgata extat, ſed tantum qui inſtrumenti compertus fuerit ſtatus ſummatim referam, ne pars hæc in ea quam tradimus mutationum ejus hiſtoria deſideretur, præſertim cum nonnulla mihi notanda ſint, quæ in illa enarratione non attigi; ſed poſt eam editam, rem totam recogitans animadverti.

Foraminis planum erat nonnihil ad horizontem obliquatum, ita tamen ut centrum ipſi initio lineæ ad perpendiculum reſponderet. Ea ergo obliquitas obſervationes nihil turbat, ſed tantum penumbræ latitudinem immutat diſcrimine vix perceptibili, quemadmodum ſubductis calculis compertum eſt.

Suſpenſa ex foramine regula illa eadem lignea, qua Caſſinus anno 1695 uſus fuerat, invenimus eam particulis 17 deficere quo minus ferreæ regulæ caput, unde meridiana linea incipit, ab imo attingeret, ubi extremum ſuperius regulæ ipſi foraminis centro aptaretur. Mox regula juxta ipſam lineam ita reclinata uti quam rectiſſime extenderetur, defectus fuit iterum partium 16 vel 17 ab initio lineæ ad inciſuram centeſimam, unde agnitum perpendiculi altitudinem eſſe ut oportet partium centummillium. Eadem longitudo a centeſima ad ducenteſimam inciſuram eſt inventa.

Inciſuræ ipſæ quinæ infixis in arundine ad eorum intervalla acubus exploratæ paribus adamuſſim ſpatiis diſſitæ deprehenſæ ſunt.

Denique regulæ ferreæ libratio peracta eſt ad binas quaslibet centeſimas; hoc vero opere plures a recto poſitu aberrationes in ea repertæ; cum aliis locis elata, aliis depreſſa eſſet, ubi cum perpendiculi puncto compararetur. Eas differentias ſingulas una cum correctionibus, diſtantiæ a vertice adhibendis, quæ correctiones erroribus illis ſingulis reſpondent, appoſita hic tabella complectitur. Ubi notandum æſtivo ſolſtitio Solis ſpeciem marginibus ſuis incidere in centeſimas 37, & 38, hyberno autem in centeſimas præterpropter 243, & 249, ac propterea ſi utroque loco facilitatis gratia centralis tantum tangentis ratio habeatur, eadem fere utrobique correctio diſtantiæ a vertice addenda conflatur ſecundorum 14, aut circiter, quod hic monuiſſe in rem erit

Cen-

Centeſima altitudinis perpēdiculi.	*Libramēti vitium.*	*Correctio adhibenda diſtantiæ a vertice.*	*Centeſima altitudinis perpēdiculi.*	*Libramēti vitium.*	*Correctio adhibenda diſtantiæ a vertice.*	*Centeſima altitudinis perpēdiculi.*	*Libramēti vitium.*	*Correctio adhibenda diſtantiæ a vertice.*
	Part.	*ſec.*		*Part.*	*ſec.*		*Part.*	*ſec.*
36	20 alt.	13 ad.	112	10 depr.	10 ſub.	188	0	0
38	22	14	114	5	5	190	2 alt.	2 ad.
40	24	18	116	0	0	192	7	6
42	29	21	118	3	3	194	7	6
44	36	28	120	3	3	196	12	10
46	36 alt.	29 ad.	122	2 alt.	2 ad.	198	8 alt.	6 ad.
48	30	23	124	5 depr.	5 ſub.	200	4	3
50	32	27	126	4	4	202	5	4
52	40	34	128	0	0	204	3	2
54	41	35	130	4 alt.	4 ad.	206	3 depr.	2 ſub.
56	40 alt.	35 ad.	132	7 alt.	7 ad.	208	2 alt.	2 ad.
58	32	30	134	4	3	210	5	4
60	28	27	136	1	1	212	2	2
62	25	23	138	2	2	214	9	7
64	21	19	140	7	7	216	14	11
66	19 alt.	19 ad.	142	20 alt.	19 ad.	218	22 alt.	17 ad.
68	15	14	144	32	31	220	22	17
70	12	11	146	37	36	222	19	15
72	10	9	148	27	26	224	14	11
74	8	8	150	20	19	226	7	5
76	17 alt.	17 ad.	152	12	12 ad.	228	7 alt.	5 ad.
78	15	15	154	7	7	230	7	5
80	20	20	156	5 depr.	5 ſub.	232	7	5
82	24	24	158	17	16	234	3	2
84	22	22	160	25	23	236	1	1
86	24 alt.	24 ad.	162	12 depr.	11 ſub.	238	8 alt.	6 ad.
88	25	25	164	4 alt.	4 ad.	240	15	11
90	29	29	166	11	10	242	23	16
92	25	26	168	12	11	244	19	14
94	29	29	170	17	16	246	17	12
96	19 alt.	19 ad.	172	16 alt.	14 ad.	248	19 alt.	14 ad.
98	12	13	174	10	9	250	2	1
100	15	16	176	2 depr.	2 ſub.			
102	7	7	178	6	5			
104	5	5	180	7	6			
106	2 alt.	2 ad.	182	5 depr.	4 ſub.			
108	0	0	184	4 alt.	3 ad.			
110	12 depr.	12 ſub.	186	1 depr.	1 ſub.			

Hæ quidem ſunt libramenti depravationes quas in linea ferrea invenimus, quibus ſi adſcriptæ in tabella correctiones adhibeantur, diſtantias a vertice ab omni

omni inſtrumenti vitio purgaras inde ei ci poſſe ſum arbitratus. Verum cum deinde rem hanc univerſam mecum ipſe reputarem, ac Caſſinianam enarrationem paulo attentius legerem, pœnituit me in eo examine quod tanto ſtudio inſtituiſſem aliquid omiſiſſe quod nonnihil denuo ſcrupuli mihi nunc ingereret. Non enim Caſſinus ſive cum inſtrumentum primo conſtrueret, ſive cum anno 1695 reſtitueret, ferream lineam, ſed marmoreas ad eandem cum puncto perpendiculi altitudinem exegerat, licet (quod me fefellit) hoc ipſum punctum, ſive lineæ ipſius initium, ad caput ferreæ regulæ, ac in ejus latitudinis medio ſtatuiſſet. Ac quamvis Gulielminus in ea reſtauratione regulam ferream, poſt marmorum librationem peractam, ad eorum uſque planum depreſſam fuiſſe tradat, fieri tamen nequit ut regula illa cum marmoribus exacte complanata fuerit, quæ ipſa minime plana ſit, ſed ſuperficiem nonnihil inæqualem criſpatamque habeat. Accedit quod cum regula e ſegmentis pluribus ferreis conſtet, quæ ſingula cuſpidibus in pavimento confixa, ac cum marmoribus calce coagmentata, nec ſine aliqua vi in eo poſitu detenta fuiſſe arbitror, fieri poſſit ut proprio denique niſu ſe ſe reſtituens exiluerit, lapidibus tamen vel nihil vel minus commotis, eaque de cauſa ubique fere juſto elatior inventa fuerit, quin etiam nonnullis locis oculorum ipſorum teſtimonio a marmoribus extans appareat, idque mihi rem hanc haud ſatis perpendenti luxatorum marmorum ſpecie impoſuiſſe.

Etſi ergo correctiones in ſuperiori tabella traditas haud valde a vero abludere crediderim, vereor tamen ut exactiſſimæ ſint; non enim cum obſervationes habemus ſpeciei margines in ipſa regula ferrea, ubi ex atro metalli colore minus nitidi apparent, ſed ut plurimum in marmoreis, ubi termini manifeſtiores ſunt, cultello notamus ac ibi lineolam margines ipſos tangentem ducimus, licet hanc deinde notam ad ferri inciſuras referamus. Marmoreæ vero regulæ an & quantum a perpendiculi libramento aberrent, hoc eſt quod a me omiſſum doleo. In ipſo certe lineæ initio, ac perpendiculi puncto ferream regulam marmoreis complanatam a me inventam & memini, & ex eo fit manifeſtum quod etiamnum idem cum illis planum ſervet. Quæ vero aliis lineæ locis marmorum conſtitutio eſſet divinare nequeo.

Hæc de experimento illo dicenda habui, ne quis ei quam ſupra memoravi enarrationi a me tum conſcriptæ confiſus menſuris noſtris plus æquo tribuat. Ex eo autem tempore ad hunc quem agimus annum 1734 nullam de gnomonis ſtatu menſuram egi, non enim ejuſmodi tentamenta ſæpius iterare licet, quæ ſine magno molimine capi non poſſunt. Equidem ob haſce mihi obortas ſuſpiciones ex die 21 Aprilis 1723 iis qui deinceps tangentes meridie notarent inculcavi, ut in ipſa regula ferrea potius quam in marmoreis ſpeciei margines definirent, quo ſcilicet correctiones ſuperiore anno inventæ utiles eſſe poſſent; ſed neque id perpetuo ab illis ſervatum opinor, nec vero tam facile factu eſt, quod margines ægre in ferro diſtinguantur; ut taceam curam hanc ſupervacuam reddi ſi, quod accidiſſe poteſt, ab eo tempore regulæ libramentum iterum immutatum fuerit.

Antequam hoc caput claudam prætereundum non duxi directionem quoque meridianæ lineæ a nobis expenſam, ac rectiſſime habere compertum. Equidem

dem nonnulla de eo experimenta cœpimus eo ipſo anno 1722 dum libramenta ceteraſque dimenſiones ageremus, ſed cum mihi in eo non ſatisfeciſſem, alias experiendum ſum arbitratus. Hoc ergo anno 1734 die 3 Aprilis in publico obſervatorio meridiem per altitudines antemeridianas, ac pomeridianas Solis accuratiſſime determinavimus, ac porro editis ex Divi Petronii ſignis indicanda nobis curavimus momenta duo temporis, quibus momentis ſpecies Solis meridianam illam & primo attingeret, & ultimo deſereret, illudque ſummo ſtudio cavimus ne quid temporis inter edenda ſigna deperderetur, quod ſenſu percipi poſſet; ac cum obſervatorii meridianum a Divi Petronii æde ſecundis temporariis præterpropter duobus in ortum vergere ſat certo nobis perſpectum eſſet, ejus quoque diſcriminis rationem habuimus, ſubductiſque calculis comperimus meridiem ex linea illa vix ſecundo horario juſto citius indicatum. Denique die 12 Novembris iterum periculum fecimus, ac meridiem ſecundo horario ſerius in linea quam in cælo deprehendimus. Ex hiſce ergo obſervationibus quæ in punctis lineæ adeo inter ſe diſſitis actæ ſunt manifeſto evincitur rectiſſimum eſſe ejus poſitum, ipſique cæleſti meridiano, quantum poterat accuratiſſime aptatum; quod idem Caſſinus anno 1695 ab experimentis ſuis invenerat.

CAPUT XII.

Quo delectu hujuſce ſeriei obſervationes uſurpandæ, & quatenus corrigendæ ob inſtrumenti vitia.

NOnnemo fortaſſe mirabitur me qui hujuſce gnomonis hiſtoriam ſummatim tantum attingere ſuſceperim, in ejus erroribus enarrandis tam multum fuiſſe, nec modo vitiis ſed & vitiorum ſuſpicionibus recenſendis tamdiu immoratum. Qui tamen ſecum reputaverit quantum ad obſervationum uſum momenti habeat de inſtrumentorum conſtitutione certo cognoſcere adeo non mirabitur, ut aliquid præterea de hac re a me addi expectet, ne videlicet in ſingulis hujuſce ſeriei obſervationibus hærere ac ſuperiora capita percurrere opus habeat, uti ſciat quæ earum integro inſtrumento actæ ſint, quæ vero in ſuſpecta tempora incidant, ac correctione quapiam indigeant. Horum igitur expectationi paucis hoc capite ſatisfaciam.

Primum igitur obſervationes ex anno 1655 ad exitum ſaltem Januarii 1673 nulla ſuſpicione laborare oſtendit Montanarii examen, niſi forte earum aliquæ in ea lineæ loca incidant in quibus ipſe anno 1673 libramentum regulæ ferreæ nonnihil immutatum invenit, quæ loca capite 8 in tabella recenſuimus, ac correctionem ejuſmodi obſervationibus adhibendam tradidimus; ſed ea & pauca ſunt, & minimum quiddam vitiata, & de vitii initio nihil liquet, nec denique ea ſuſpicio ad primos ſaltem poſt inſtrumenti conſtructionem annos pertinere videtur. Neque enim audiendum eſſe Mengolum quum ipſo initio perpendiculum juſto brevius effectum narrat, aut cum tangentibus ante marmorum

morum collocationem particularum quinque, aut decem augmentum tribuendum hariolatur manifeſto evicimus capite ſeptimo. Sed neque eſt ut perpendiculum medio ſaltem eo tempore particulis ut ille contendit 45 decurtatum vereamur, ſi enim hoc ita eſſet diſtantiam tropici Cancri a vertice ſecundis 30, tropici autem Capricorni ſecundis 31 apparenter imminutam fuiſſe oporteret, cum tamen illa ad annum ſaltem 1663 potius aucta fuerit, deinde paullulum, ac longe minus ſecundis 30 imminuta, hæc vero ad annum 1669 vix quicquam mutata; quemadmodum ex obſervationum ſolſtitialium ſerie infra tradenda apparebit. Neve hæ ipſæ ob aliquod lapidum vitium ſuſpectæ haberi poſſint, ea marmora in locis ſolſtitiorum ad annum uſque 1694 juſtum ſervaſſe poſitum Caſſinus deprehendit, uti dictum capite 10; quibus omnibus penſitatis, vel ſi Montanarii examen deficeret, Mengolum tamen in menſura illa agenda deceptum fuiſſe minime dubitarem.

Poſt menſem vero Januarium anni 1673 ad Martium 1679 etſi nullum experimentum captum eſt, quod de inſtrumenti ſtatu docere poſſit, contra nullam eſſe cauſam quamobrem perpendiculum depravatum putemus oſtendit poſtrema obſervatio diei 19 Martii 1679, quæ cum prope æquinoctium cadat, quo loco lineæ lapides ad annum 1695 nihil quicquam immutatos ſupra diximus, niſi perpendiculum quoque recte habuiſſet, ſuperiorum annorum obſervationibus, quæ ſcilicet ante annum 1673 eodem die 19 Martii peractæ fuerant, reſpondere haud poterat, quibus tamen ita reſpondit, ut accuratius nequeat. Cum enim anno 1657 diſtantia centri Solis a vertice fuiſſet gr. 44. 45. 51, eademque anno 1670 inventa foret gr. 44. 49. 45, apparet eam diſtantiam tredecim annorum ſpatio (quorum annorum tres tantum intercalares fuerunt) auctam fuiſſe ſcrupulis 3. 54. Atqui idem augmentum fere ad unguem inventum eſt ex anno 1666 ad 1679, pari ſcilicet annorum intervallo, & intercalarium numero; fuit enim anno 1666 grad. 44. 50. 13, anno autem 1679 gr. 44. 54. 6, diſcrimine iterum minutorum 3. ſec. 53. Conſenſus hic plane mirus explicari ſane nequit ſi perpendiculum vel tantillum ab anno 1673 corruptum ponamus. Reliquum ergo eſt ut hiſce annis de lineæ plano ambigi poſſit; ac ſane ſi qui lapides jam inde a Montanarii examine collapſi erant, cum nemo eos reſtituerit, proclive eſt ut potius exiſtimemus in deterius lapſos, ac forte vitium ad alios propagatum; ſed cum de hoc nil certo ſtatui poſſit, unum ſupereſt ut ejus temporis obſervationibus tanquam minus certis utamur, niſi ſi quæ circa æquinoctia, aut ſolſtitia peractæ ſunt, ubi marmora ſuis locis ad annum 1695 manſiſſe diximus.

Multo vehementior de illis obſervationibus eſt ſuſpicio quæ poſt annum 1679 ad diem 10 Junii 1690 in ſerie recenſentur, quod tunc depravatio plani cum aliqua perpendiculi labe conjuncta fuiſſe videatur; id quod de primis ſaltem anni 1690 ratum faciunt adſcriptæ illis Gulielmini notæ; propterea minime illis fidendum. Verum eæ perpaucæ ſunt.

Reſtituto autem die 10 Junii 1690 per Gulielminum perpendiculo, quamquam illud a ſuo poſitu iterum deſciviſſe conſtet, de tempore autem non conſtet, faciunt tamen obſervationes autumnali æquinoctio ejuſdem anni habitæ ut ſaltem ad id temporis nihil mutatum arbitrer. Die enim 23 Septembris diſtan-

ſtantia centri Solis a vertice obſervata eſt grad. 44. 48. 48, die vero eodem anni *1695*, inſtrumento per Caſſinum jam redintegrato, fuit ea diſtantia gr. 44. 43. 24., intervallum eſt annorum 5, quorum unicus intercalaris. Rurſum autem anno 1700 recurrente die 23 Septembris diſtantia fuit gr. 44. 38. 10, ubi intervallum eſt iterum annorum 5. cum unico biſſextili (ob diem ſcilicet anno 1700 ad Gregorii XIII præſcriptum expunctum) decrementum vero diſtantiæ a vertice min. 5. 14, quod priori illi decremento min. 5. 24 haud male reſpondet. Sed & ſolſtitium hybernum anni *1691* haud valde aberrare videtur, neque vero hæc contingere potuiſſent ſi perpendiculum minus recte habuiſſet. Verum ſi obſervationes illas prope æquinoctia, & ſolſtitia excipias, reliquis per id tempus habitis, ob plani depravationem vitium ſubeſſe poteſt (ac multo magis aliis quæ poſt annum *1691* ad diem *19* Martii *1695* peractæ fuerunt) ſed eorum vitiorum corrigendorum nulla eſt ratio.

Ex die ergo *19* Martii *1695* quo Caſſiniana reſtauratio abſoluta fuit nihil eſt quod deinceps de perpendiculi vitiis ſimus ſolliciti ſaltem ad menſem Junium anni 1722, quo menſe illud recte habere comperi. Ad lineæ vero libramentum quod attinet, iis equidem tangentibus quæ ipſo anno 1722, aut etiam ante aliquid temporis, notatæ fuerunt correctio adhibenda eſt ex tabella, quam ſuperiori capite attuli, ita enim niſi exactiſſimas a vertice diſtantias nacti fuerimus, ſaltem vero propiores aſſequemur quam ſi correctio illa negligatur; verum cum liquere non poſſit quampridem ante annum 1722 depravatio acciderit, ac veroſimile ſit eam paulatim ac aliis lineæ partibus citius, aliis ſerius ſupervenîſſe, tutiſſima ratio eſt ſi primis a reſtauratione annis, nulla correctione utamur, eorumque annorum obſervationibus magis fidamus quam quæ poſtmodum ſunt habitæ; in illis enim vix eſt ut vereamur planum lineæ tam ſubito labefactatum, præſertim cum in ejus redintegratione cautum eſſet ne lapides facile loco cederent.

Poſt examen illud anni 1722 cur perpendiculum immutatum arbitrer nulla eſt cauſa, cum nil ab eo tempore obſervationibus præſertim ſolſtitialibus (quæ omnium ad hæc vitia exploranda ſunt aptiſſimæ) accidiſſe videam quod & integro gnomone accidere non conſueviſſet. Id autem confirmari videtur a progreſſu obſervationum iiſdem anni diebus habitarum, ac pari annorum numero inter ſe ſe diſtantium ante ac poſt annum 1722, uti in exemplo quod hic ſubjeci; ubi tamen notandum diem 25 Januarii *1698* ſubſequenti ſæculo minime diei 25 ſed *26* Januarii reſpondiſſe, ob intercalarem ſcilicet diem anno 1700 omiſſum

		Diſtantia centri Solis a vertice ex obſervatione G ′ ″	*Diminutio diſtantiæ a vertice annis* 12 ′ ″
1698	25 Januarii	*63*. 15. 40	
			1. 25
1710	*26* Januarii	*63*. 14. 15	
			1. 25
1722	*26* Januarii	*63*. 12. 50	
			1. 27
1734	*26* Januarii	*63*. 11. 23	

haſce obſervationes conſulto elegi ad rem hanc confirmandam, tum quod tria ſint continentia annorum duodecim intervalla, quod rarum eſt, tum quod in

ea

ea loca meridianæ lineæ incidant quibus anno 1722 vix quicquam vitii in libramento irrepſerat. Manifeſtum eſt autem ſi foramen Solem admittens poſt eum annum a recto poſitu deflexiſſet differentiam illam duodenis antea annis bis eandem repertam min. 1. 25 deinceps eandem redire non potuiſſe. An autem libramenta lapidum, ſaltem aliquorum, aut regulæ ferreæ (in qua ipſa ex die 21 Aprilis 1723 tangentes interdum notatæ ſunt) poſt ultimum illud examen novis iterum luxationibus obnoxia fuerint, nihil certo affirmare poſſum, ſed haud multum errari arbitror ſi poſt annum etiam 1722 in hunc diem correctio de ſuperioris capitis tabella adhibeatur.

Hæc mihi ſingula pro temporum diverſitate diſtinguenda atque enucleanda fuerunt, eorum præſertim gratia qui ſummam, uti decet, in obſervationibus hujuſmodi ſubtilitatem ſpectant. Qui vero iis pinguiori ut ajunt Minerva habitis contenti ſunt, ſatis habebunt ſi ſcient vix ullam in hac ſerie tota inventum iri, quæ ſolidi ſcrupuli primi exceſſu vel defectu laboret, ſi modo ea tantum vitia ſpectemus quæ ob perverſam inſtrumenti conſtitutionem contrahi potuerunt; quæ enim ab obſervandi fallaciis oriuntur hic non moror.

Caput XIII.

Qui harum obſervationum uſus fuerit in refractionibus aſtronomicis conſtituendis.

Reliquum nunc eſt ut ad eam hiſtoriæ meæ partem tranſeam quæ obſervationum hoc gnomone habitarum in re aſtronomica utilitatem, maximis cæleſtis diſciplinæ acceſſionibus atque incrementis comprobatam complectitur; qua in re non vereor ne qui hæc legent me argumento quod exornandum ſuſcepi plus æquo tribuiſſe exiſtiment; nihil enim afferam niſi quod indubiis ac etiamnum publice extantibus horum octoginta annorum monumentis ratum teſtatumque ſit. Ordiar autem a refractionibus aſtronomicis ſine quibus nihil de vero ſiderum poſitu eorumve motu ſubtiliter ſtatui poterat. Refractiones equidem Ptolemæus ſubolfecit, Valtherus experimentis comperit, Tycho menſuris tentare cæpit, ſed Caſſinus obſervationibus hoc gnomone actis edoctus primus omnium a dioptricis principiis repetiit, ac in tabulas digeſſit.

Vix ille meridianam hanc lineam duxerat, necdum marmoribus conſtraverat, cum ſolares tabulas cogitare cæpit. Sed cum ab altitudine poli accurate determinanda ordiendum eſſet, neque dum ſatis obſervationum ex hoc inſtrumento haberet, quo ea de re decerneret; altitudinem illam per ſtellam polarem initio anni 1656 inveſtigavit. Erat ea ætate pleriſque omnibus aſtronomis perſuaſum nullam ſideribus refractionem contingere quæ ſenſu perciperetur, ubi ſidus ultra gradus 25, vel ut maxime 40 ab horizonte attolleretur. Itaque hac hypoteſi fretus, quæ inde a Tychonis temporibus promanaverat, eam quam invenerat poli altitudinem abſque ulla a refractionibus correctione retinendam arbitratus eſt, præſertim cum per idem tempus aſtronomi ſolertiſſimi

Ric-

Ricciolius, & Grimaldus ejuſdem ſtellæ obſervationibus eam ipſiſſimam loci latitudinem deduxiſſent. Celebris eſt hæc utraque obſervatio, quippe in eodem ſecundo ſcrupulo reſpondens; ſed de ea pluribus in loco dicam.

Hac ergo latitudine aſſumpta, cum jam anno 1655 æſtivo ſolſtitio (hyberno præ valetudine non licuerat) diſtantiam Solis a vertice meridianam obſervaſſet, ac ne hanc quidem ulla a refractionibus limitatione indigere ex communi aſtronomorum ſententia opinaretur, parallaxim vero Solis in tanta altitudine vix quicquam efficere certum haberet, prodiit illi diſtantia tropici æſtivi ab æquatore, ſive eclipticæ obliquitas; ex qua ſubinde longitudines Solis ſingulis diebus in linea obſervati ſupputans, ejus motus anomalias, ac celeritatum per anni tempora diſtributionem perſpexit, ac brevi ſolares tabulas adornavit, earumque tabularum ſpecimen edidit vere anni 1656, cum nondum annus a gnomonis conſtructione eſſet evolutus; quibus tabulis omnes Solis longitudines ſibi hactenus obſervatas accuratiſſime exhibebat. Verum poſtquam longitudines alias, quas a verno æquinoctio deinceps nactus fuit haud æque tabulis reſpondere comperit, perpendendum cenſuit an (quod erat ſuſpicatus) aliquid refractionis ultra gradum altitudinis 45 ſupereſſet, quæ neglecta & poli altitudinem, & eclipticæ obliquitatem, & longitudines ipſas quotidie calculis ſubductas vitiaſſet. Idipſum vero a ſolſtitiali obſervatione hyberna anni 1656 manifeſtius patuit, cum tropici diſtantia a vertice, utcumque e Tychonicis, aut Keplerianis, ſive Ricciolanis parallaxeon ac refractionum hypoteſibus expurgata, neque aſſumptam loci latitudinem, neque tropici a circulo æquinoctiali diſtantiam antea inventam reſtitueret.

Ea res neceſſitate quadam Caſſinum obſtrinxit ut in aſtronomicas refractiones paulo ſolertius quam hactenus factum erat inquireret, ac rem totam ab ipſis principiis ductam enuclearet. Multa enim de hoc refractionum negotio in aſtronomorum libris extabant, quæ limam poſcerent; veluti quod refractiones haud ſatis a parallaxibus extricaſſent, ac propterea in eadem apparenti altitudine aliam refractionem pro alia ſtellarum a centro telluris diſtantia conſtituiſſent; quod ſingularum refractiones ad certos tantum altitudinis fines protuliſſent, ac alia nonnulla neque ut videbatur rerum naturæ, neque ſibi ipſis conſentanea tradidiſſent. Ad rem igitur hanc explicandam nil aliud ſumpſit quam quod pleriſque omnibus philoſophis ſummo conſenſu receptum noverat, nimirum: craſſum aerem telluri ad certam diſtantiam circumfuſum eſſe, cujus aeris ſuperficiem ſphæricam ubi radius quiſpiam a cæleſtibus corporibus promanans oblique permearet, a directione ſua detorqueretur, ac interiorem aliam viam iniret, qua aerem ipſum recta trajiceret; tum vero illud: cujuſcumque e cælo radii in aeris ſuperficie refracti diſtantiam a centro telluris certa ſui parte decurtari. Poſtremum hoc in eam legem recidebat quam Carteſius de conſtanti ſinuum in refractionibus proportione haud multo ante vulgaverat, ac Caſſinus ipſe multiplici experimento in plurimis translucidis corporibus cum ſolidis, tum fluidis inſtituto, certiſſimam deprehenderat.

Ex hiſce principiis duobus rem univerſam confici poſſe cenſuit, modo & illius decurtationis ratio, & ſemidiametri ſphæræ aereæ in qua refractio contingit ad telluris ſemidiametrum proportio nota eſſet. Hanc vero utramque ex

datis duabus refractionibus, quæ altitudinibus duabus apparentibus reſponderent invenire aggreſſus eſt: arduum ſane problema cum ob geometricæ effectionis difficultatem, tum vero ob refractionum illarum quas prænoſci atque aſſumi oportebat incertitudinem, præſertim ſi eas in Sole ipſo inveſtigandas ſuſciperet, cujus parallaxis ea ætate incomperta, aliiſque aſtronomis aliter taxata, ita indaginem hanc omnem turbabat, ut in ea perſequenda nil tanquam certum exploratumque ſumi poſſe videretur. Neque enim Solis declinatio, neque poli altitudo, quibus arcubus (una cum angulo vel horarii, vel verticalis circuli cum meridiano) tanquam notis ad refractiones exquirendas aſtronomi utuntur, ſatis perſpectæ eſſe poterant, quod eorum arcuum hic refractione adhuc ignota, ille vero & parallaxi involvi poſſet; neque demum ubi vera altitudo ex calculis demum comperta foret, liquere poterat quantum illi parallaxeos nomine ſubduci oporteret, ut reſidui differentia ab obſervata altitudine refractioni adſcribi poſſet.

Verum cum ab aliis obſervationibus ipſi ſuboluiſſet Solis parallaxim permodicam eſſe, quæque infra ſcrupula ſecunda duodecim conſiſteret, id hypoteſeos loco ſumere non dubitavit, ac ſubinde ipſarum refractionum indaginem aggreſſus pluribus, ut credi par eſt, tentamentis, rem eo perduxit ut non aliter omnia inter ſe ſe cohærere ac conſpirare poſſe agnoverit, quam ſi altitudo ſuperficiei aereæ, in qua radiorum fit refractio poneretur *6095* earum partium, qualium telluris ſemidiameter 10000000, decurtatio autem diſtantiæ radii cujuslibet a centro terræ ex refractione orta fieret partium 2841 qualium diſtantia ipſa 10000000; his enim poſitis tales in unaquaque altitudine refractiones prodibant, ut & elevatio poli per ſtellam polarem inventa (quam ipſam elevationem a refractionum fallacia caſtigandam apparebat) eadem atque e ſolſtitiorum obſervationibus ſimiliter correctis eliceretur, & refractiones ipſæ ſolſtitiales meridianæ horizontali refractioni obſervationibus aliis ſibi exploratæ reſponderent.

Ac ne quid ſcrupuli ob neglectum in hac methodo diſcrimen opticæ refractionis ab aſtronomica ſuboriri poſſet, ex illis ipſis quas conſtituendas invenerat linearum proportionibus perſpicuum fiebat angulum illum quo radius aerem ſubintrans a recto tramite deflectitur, quique opticorum eſt refractio, aſtrononomicæ refractioni perpetuo æqualem eſſe, nempe angulo illi quem in oculo obſervatoris radius ipſe refractus cum ea linea comprehendit quæ inde ad ſtellam recta ducitur; quod ſcilicet tam modicus ſit ejus radii ad oculum uſque trajectus, ac obliqua adeo ad ſtellam poſitio, ut ne in Luna quidem, quæ omnium terris proxima volvitur, eorum angulorum differentia ſub ſenſum caderet; unde & illud denique efficiebatur refractiones a ſe inventas & Soli & Lunæ & Stellis omnibus tuto eaſdem adhiberi, ubi per radios refractos eadem altitudine ſpectarentur.

Ceterum ne de exigua illa quam aſſumpſerat Solaris parallaxeos quantitate diu ambigendum eſſet effecit haud multo poſt tum Caſſini ipſius cum aliorum Regiæ academiæ Pariſienſis aſtronomorum ſolertia. Horum enim obſervationibus quas anno 1672 in ſtella Martis inſtituerunt, comperta eſt parallaxis Solis in horizonte ſecundorum præterpropter decem; id quod Maraldus iteratis

anno

anno 1719 experimentis confirmavit, ac aſtronomi plerique omnes ratum deinceps habuerunt, aut certe tam parum ab ea determinatione diſceſſerunt ut perexiguum diſcrimen in refractiones inde manare poſſit. Propterea Caſſinus in præclaro illo commentario de elementis aſtronomicis ſuæ refractionum tabulæ eas parallaxes adſcripſit quæ decem ſecundorum parallaxi in horizonte reſponderent. Ex hac tabula eam deſumpſi quam ſupra tradidi capite quarto.

Ne quid omittam, illud quoque Caſſinus tentaverat ut in Kepleriana hypoteſi, quæ Soli parallaxim horizontalem minuti unius decernit, ſolſtitiorum ac polaris ſtellæ obſervationes conciliaret. Id autem minime ſuccedebat niſi refractio aliis anni tempeſtatibus alia poneretur. Itaque ex hac aſſumptione triplicem refractionum tabulam elicuit, æſtivam, æquinoctialem, & hyemalem, quæ ſi ſuis quæque temporibus uſurparentur, ac cum Kepleriana parallaxi componerentur, omnia iterum perbelle reſponderent. Rurſum enim elevatio poli tam e ſtella polari, quam e ſolſtitiis eadem prodibat, licet ab illa nonnihil diſſidens, quæ in priori hypoteſi inveniebatur, eclipticæ vero obliquitas, utra hypoteſis eligeretur nihil admodum variabat. Extat triplex illa tabula adjuncta ad Malvaſiæ ephemerides anno 1662 editas; ubi refractio quæ æſtiva nuncupatur eadem ad unguem eſt atque in priori hypoteſi. Adjecta ſunt præterea a Caſſino exempla aliquot quibus manifeſtum fieret elevationes poli, tum a ſe ſe Bononiæ tum alibi ab aliis e ſtella polari deductas, aptiſſime in eas quadrare quæ e tropicis obſervationibus eruuntur, ſi refractiones & parallaxes de tribus illis tabellis depromantur, ſecus plurium minutorum diſcrimina inveniri. Verum hæc eadem omnia priores illæ refractiones, & parallaxes præſtant.

Ex eo ergo tempore Caſſinianæ refractiones ab aſtronomis tractari ac experimentis probari cæptæ, ac brevi plerisque omnibus perſuaſum fuit Tychonicas antiquandas, ac refractionem aliquam vel in iis altitudinibus agnoſcendam quæ ſupra gradum 45 ad verticem uſque numerantur; cui rei cum pene unus repugnare videretur Ricciolius, novamque hanc Caſſini methodum in aſtronomia reformata exagitaſſet, hic & objecta diluit, & inventi ſui rationem omnem explicuit, præclara epiſtola ea de re conſcripta, quæ adjuncta eſt ad Montanarii ephemerides anni 1666.

Verum cum de eo ambigi adhuc poſſet anne refractiones pro locorum aut tempeſtatum diverſitate diverſæ forent, ex quo tabulæ uſus aut minus communis aut minus certus efficeretur, periculum facere lubuit num refractiones in Europæa temperie conceptæ maximis quoque zonæ torridæ æſtibus aptarentur. Ejus præſertim rei explorandæ gratia Richerius a Pariſienſi academia in Cayennam inſulam eſt delegatus, quæ inſula ab æquatore grad. 4. 56 haud amplius in ſeptentriones diſtat. Cum ergo is annum ibi fuiſſet ac plurimas aſtronomicas obſervationes inde in Galliam retuliſſet, liquido apparuit ſi altitudines Solis ab eo captatæ a refractionibus ex Caſſini tabula exſolverentur eamdem fere obliquitatem eclipticæ reſtitui, quam Bononienſes obſervationes exhiberent, ſecus ſi ea correctio negligeretur, atque hinc magnum ad Caſſinianæ tabulæ fidem momentum acceſſit, deinceps enim aſtronomi unanimi fere conſenſu eam adoptaſſe, aut parum certe inde mutaſſe niſi ſunt, veluti in Ger-

 mania

mania celeberrimus Kirchius, in Anglia conſummatiſſimus obſervator Flamſtedius, in Italia vir cum aſtronomiæ tum aliarum diſciplinarum laude præſtantiſſimus Blanchinus, aliique, licet hic poſtremus ex quibuſdam ſtellarum obſervationibus refractionem hyeme nonnihil augendam ſuſpicatus ſit.

Aliquam tamen eſſe in minoribus ab horizonte altitudinibus refractionum inconſtantiam pluribus poſtmodum experimentis compertum fuit, contra atque accidit cum ad gradum præterpropter viceſimum ventum eſt. Quin & illud agnitum radiorum per atmoſphæram ſemitas minime rectas eſſe, ſed curvas. Hoc vero argumentum utrumque luculenter pertractavit Caſſinus filius in commentariis Pariſienſis academiæ anni 1714, ubi & in tabella refractiones tradidit quas ex hypoteſi trajectionis radiorum curvilineæ ſupputavit aſſumpta refractione eadem horizontali quam Pater poſuerat, hancque tabellam obſervationibus a ſe habitis accuratius reſpondere oſtendit. Summus quoque ille memoria noſtra philoſophus ac geometra Iſaacus Eques Neutonus tabulam aliam ex natura ipſa curvedinis radiorum erutam concinnavit, quam Edmundus Halleyus aſtronomorum ætate noſtra nulli ſecundus Regiæ ſocietatis Anglicæ tranſactionibus anni 1721 inſeruit. Denique ne omnes recenſeam extant perinſignis aſtronomi Philippi Hiræi refractiones inter ejus tabulas evulgatæ, quas refractiones ſibi ab obſervationibus probatas teſtatur. Verum harum tabularum omnium, ſi Hiræanas excipias, diſſidia ſupra quintumdecimum, aut viceſimum altitudinis gradum permodica ſunt, & Caſſini Patris numeri medium fere tenent, quemadmodum ex ipſarum tabularum collatione apparet quas huic capiti ſubjeci. Seorſim etiam adjeci tabellam parallaxeon Solis, ex Caſſini, Hiræi, atque Halleij ſententia.

Fecerunt præterea obſervationes nonnullæ intra circulum arcticum habitæ ut longe majores in ea zona quam in hiſce regionibus noſtris refractiones cenſerentur; cujus problematis reſolutio expectanda videtur a celeberrimis fratribus Nicolao, ac Ludovico Islæis, qui cum in Imperiali academia Petropolitana aſtronomica ac geographica provincia fungantur, multaſque in ampliſſima illa ditione locorum latitudines ab obſervationibus definire ſuſceperint, de hoc præſertim refractionum negotio certi aliquid conſtituere ſedulo ſtudent. Mihi quæ hactenus de hoc argumento in academiæ illius commentariis edita ſunt perpendenti, vix quicquam diverſitatis a refractionum noſtrarum quantitate inventum eſt; ſi enim magnum quiddam diſcriminis intercederet, cum illi modo ſtellas ad Boream poſitas, modo Solem aut ſtellas alias ad auſtrum obſervaverint, errorum ſumma in diſſidiis altitudinum poli appareret, quæ diſſidia vix ulla ſunt.

Hæc quidem de refractionum aſtronomicarum invento paullo fuſius ſum proſecutus, ut appareat quantum huic de quo agimus inſtrumento aſtronomia debeat, cum ab obſervationibus eo potiſſimum peractis & illarum exquirendarum occaſio & probandarum facultas primum oblata fuerit. Quæcumque vero de his retuli maximam partem e Caſſini epiſtolis, quas Marchio Malvaſia ephemeridibus ſuis anno 1662, ſuiſque Montanarius anno 1666 ſubjecerunt, tum vero e ſpecimine obſervationum Caſſini, aut ex ejus elementis aſtronomicis, necnon e commentario de hac meridiana linea anno 1695 edito excerpſi.

Pe-

Parallaxes Solis ex diverſorum aſtronomorum ſententia.

Diſt. a vert.	Caſſino.	Hiræo.	Halleyo.	Altitudo.
G	″	″	″	G
0	0	0	0	90
5	1	0	0	85
10	2	1	2	80
15	3	2	3	75
20	3	2	4	70
25	4	3	5	65
30	5	3	6	60
35	6	3	7	55
40	6	4	8	50
45	7	4	9	45
50	7	5	10	40
55	8	5	10	35
60	8	5	11	30
65	9	5	11	25
70	9	5	12	20
75	9	6	12	15
80	10	6	12	10
85	10	6	12	5
90	10	6	$12\frac{1}{2}$	0

Tabulæ refractionum ad ſingulos gradus altitudinis aut diſtantiæ a vertice ex diverſorum aſtronomorum computo.

Diſt. a vert.	Caſſini Patris		Hiræi		Caſſini filii		Nevtoni		
G	I	II	I	II	I	II	I	II	G
1	0	1	0	1	0	1	0	1	89
2	0	2	0	2	0	2	0	2	88
3	0	3	0	3	0	3	0	3	87
4	0	4	0	4	0	4	0	4	86
5	0	5	0	6	0	5	0	5	85
6	0	6	0	7	0	6	0	6	84
7	0	7	0	8	0	7	0	7	83
8	0	8	0	10	0	8	0	8	82
9	0	9	0	11	0	9	0	9	81
10	0	10	0	12	0	10	0	10	80
11	0	11	0	14	0	11	0	11	79
12	0	12	0	15	0	12	0	12	78
13	0	13	0	17	0	13	0	13	77
14	0	14	0	18	0	14	0	14	76
15	0	16	0	20	0	16	0	15	75
16	0	17	0	21	0	17	0	16	74
17	0	18	0	23	0	18	0	17	73
18	0	19	0	24	0	19	0	18	72
19	0	20	0	25	0	20	0	19	71
20	0	21	0	26	0	21	0	20	70
21	0	22	0	28	0	22	0	21	69
22	0	24	0	30	0	24	0	22	68
23	0	25	0	31	0	25	0	23	67
24	0	26	0	32	0	26	0	24	66
25	0	27	0	33	0	27	0	25	65
26	0	28	0	35	0	28	0	26	64
27	0	30	0	37	0	30	0	27	63
28	0	31	0	39	0	31	0	28	62
29	0	33	0	40	0	33	0	30	61
30	0	34	0	42	0	34	0	31	60
31	0	35	0	44	0	35	0	32	59
32	0	37	0	46	0	37	0	34	58
33	0	38	0	48	0	38	0	35	57
34	0	40	0	50	0	40	0	36	56
35	0	41	0	52	0	41	0	38	55
36	0	43	0	54	0	43	0	39	54
37	0	45	0	56	0	45	0	40	53
38	0	47	0	58	0	47	0	42	52
39	0	49	1	0	0	49	0	44	51
40	0	50	1	2	0	50	0	45	50
41	0	52	1	4	0	52	0	47	49
42	0	54	1	6	0	54	0	48	48
43	0	56	1	7	0	56	0	50	47
44	0	58	1	9	0	58	0	52	46
45	0	59	1	11	0	59	0	54	45
									Altit.

Diſt. a vert.	Caſſini Patrrs		Hiræi		Caſſini filii		Nevtoni		
G	I	II	I	II	I	II	I	II	G
46	1	1	1	13	1	1	0	56	44
47	1	3	1	15	1	3	0	58	43
48	1	5	1	17	1	5	1	0	42
49	1	7	1	19	1	7	1	2	41
50	1	10	1	22	1	10	1	4	40
51	1	12	1	24	1	12	1	6	39
52	1	15	1	27	1	15	1	8	38
53	1	18	1	30	1	18	1	11	37
54	1	20	1	33	1	20	1	13	36
55	1	23	1	36	1	23	1	16	35
56	1	27	1	40	1	27	1	19	34
57	1	30	1	43	1	30	1	22	33
58	1	34	1	47	1	34	1	25	32
59	1	38	1	51	1	38	1	28	31
60	1	42	1	55	1	42	1	32	30
61	1	46	1	59	1	46	1	36	29
62	1	51	2	3	1	51	1	40	28
63	1	55	2	7	1	55	1	44	27
64	2	0	2	12	2	0	1	49	26
65	2	6	2	18	2	6	1	54	25
66	2	12	2	24	2	12	1	59	24
67	2	18	2	31	2	18	2	5	23
68	2	25	2	38	2	25	2	11	22
69	2	31	2	44	2	32	2	18	21
70	2	39	2	51	2	39	2	26	20
71	2	49	3	1	2	49	2	34	19
72	3	0	3	12	2	59	2	43	18
73	3	11	3	23	3	10	2	53	17
74	3	24	3	36	3	22	3	4	16
75	3	38	3	51	3	36	3	17	15
76	3	53	4	7	3	52	3	31	14
77	4	12	4	25	4	10	3	47	13
78	4	33	4	46	4	31	4	5	12
79	4	58	5	11	4	55	4	27	11
80	5	28	5	41	5	23	4	52	10
81	6	3	6	17	5	57	5	22	9
82	6	47	7	1	6	40	6	0	8
83	7	43	8	2	7	32	6	47	7
84	8	55	9	8	8	38	7	45	6
85	10	32	10	20	10	6	9	2	5
86	12	48	12	26	12	2	10	48	4
87	16	6	15	44	14	46	13	20	3
88	21	4	20	43	18	40	17	8	2
89	27	55	26	35	24	19	23	7	1
90	32	20	32	0	32	20	33	45	0
									Altit.

CA-

Caput XIV.

De eclipticæ obliquitate ac Bononiæ latitudine ab hiſce obſervationibus primum accurate definita.

Superiori capite & refractionum exquirendarum neceſſitatem & inventarum ſucceſſum enarravi, ac ſtellæ polaris altitudines cum ſolſtitialibus hoc denique pacto a Caſſino conciliatas dixi, cujus præſertim rei gratia indago illa ſuſcepta fuerat. Quæ vero inde prodierit poli elevatio, quæve eclipticæ obliquitas, non memoravi, quod de his mihi pluribus ſeorſim agendum reſervaſſem. Primum autem ſtellæ illius obſervationes tam ab ipſo quam a Ricciolio habitas afferam.

Caſſinus a Kalendis Januarii anni 1656 quotidie ad diem 8 in ædibus Marchionis Malvaſiæ gnomone pedes 36 Bononienſes alto, quem gnomonem ad hoc ipſum erexerat, mane ac veſpere ſtellam polarem per meridianum excurrentem ſibi obſervatam memorat, & meridiani illius poſitum per maximas ejuſdem ſtellæ digreſſiones accuratiſſime expenſum.

Matutina ſtellæ diſtantia a vertice fuit	gr. 48. 2. 6
Veſpertina vero	gr. 42. 57. 10
Differentia utriuſque	gr. 5. 4. 56
Dimidium, ſeu diſtantia ſtellæ a polo boreo	gr. 2. 32. 28
Inde ergo diſtantia poli a vertice	gr. 45. 29. 38
Cujus complementum ſive elevatio poli in iis ædibus	gr. 44. 30. 22
Templum vero Divi Petronii iiſdem ædibus auſtralius invenit	2
Ergo elevatio poli ſeu latitudo ad Divi Petronii	gr. 44. 30. 20

Ricciolius vero cum Grimaldo ad Divæ Luciæ duplicem altitudinis poli indaginem, utramque per ſtellam polarem inſtituit, ac in aſtronomia reformata retulit libro 4 cap. 14; alteram ſub exitum anni 1655 ſextantibus duobus, quorum radii pedum 7, & 12

Altitudo ſtellæ maxima veſpere	gr. 47. 2. 42
Altitudo minima mane	gr. 41. 57. 36
Monet haſce altitudines pluries captatas paucis interdum ſecundis variaſſe, ſed earum differentiam quæ frequentius recurreret fuiſſe	gr. 5. 5. 6
Dimidium ſeu diſtantia ſtellæ a polo	gr. 2. 32. 33
Unde altitudo poli ad Divæ Luciæ	gr. 44. 30. 9

Tem-

Templum vero Divi Petronii borealius quam Divæ Luciæ invenit ipſe actis menſuris	10
Latitudo igitur ad Divi Petronii	gr. 44.30.19
Altera Riccioli inveſtigatio partim menſe Octobri anni 1655 partim Aprili 1656 peracta fuit gnomone præalto, pedum nempe Bononienſium 66.	
Maxima ſtellæ altitudo ineunte Octobri 1655 veſperi iterato obſervata	gr. 47. 2.43
Ut hanc reducat ad finem ejus anni detrahi jubet pro rata acceſſus annui ſtellæ ad polum (qui acceſſus eſt ſecundorum 20)	5
Fit maxima altitudo ſtellæ ad exitum anni 1655	gr. 47. 2.38
Anno autem 1656 Aprili minima ſtellæ altitudo ter capta	gr. 41.57.48
Ut reducatur ad finem anni 1655 ſubducit	6
Fit minima altitudo exeunte anno 1655	gr. 41.57.42
Eodem tempore maxima nuper inventa fuit	gr. 47. 2.38
Differentia igitur altitudinum	gr. 5. 4.56
Ejus dimidium ſeu diſtantia ſtellæ a polo	gr. 2.32.28
Unde altitudo poli ad Divæ Luciæ	gr. 44.30.10
Ob parallelorum differentiam ſupra memoratam adde	10
Conflabitur latitudo ad Divi Petronii	gr. 44.30.20

a priori determinatione unico ſecundo diſcrepans, & ad unguem reſpondens ei quam Caſſinus invenit.

Merito hic tantus obſervationum conſenſus obſervatoribus ipſis mirus eſt habitus, nobis vero eo magis admirationi eſſe debet poſtquam ſtellæ illius annuæ viciſſitudines ſunt perſpectæ; notum eſt enim poſt Picardi, Flamſteedii ac utriuſque Caſſini obſervationes anomaliam quandam, Riccioli ętate incompertam polari ſtellæ contingere, qua fiat ut per annum minime æquabiliter ad polum accedat, quinimo interdum ad aliquid temporis ab eo recedat; cujuſmodi aberrationes & ſtellis aliis communes eſſe, neque modo ſecundum declinationem ſed etiam ſecundum aſcenſionem rectam aliquas eſſe, Maraldus etiam, Roemerus, Horrebovius deprehenderunt, earumque evagationum ordinem ac leges, in parallaxi annua fruſtra quæſitas, egregius nuper aſtronomus Jacobus Bradleyus expendit, de quo argumento nos etiam nonnulla ſcriptis mandavimus. Propterea ne qua hujuſmodi aberratio eas obſervationes vitiare poſſit quæ ad definiendas locorum latitudines haberi ſolent, monuit Picardus in itinere Uranoburgico, & Jacobus Caſſinus in tabulis tranſitus hujuſce ſtellæ per meridianum, tutiſſimam rationem eſſe ſi tam maxima quam minima altitudo iiſdem, aut non valde diſſitis noctibus exploretur; ita enim neceſſitas evitatur redu-

reductionis illius, qua Ricciolius in hac poſtrema determinatione opus habuit, quæque ſi pro rata temporis diſtribuatur, fallax eſſe poteſt. Qui vero factum ſit ut in experimentis hiſce non fefellerit inveſtigatu eſt difficile.

Utcumque ſit, minime dubitandum quin apparans illa elevatio poli ad Divi Petronii gr. 44. 30. 20 tam proxime ad verum accederet quam obſervationibus accedere licet. Inde ergo Ricciolius eclipticæ obliquitatem eruerat grad. 23. 30. 20 ea methodo, quæ iis temporibus aſtronomis familiaris erat; ut enim refractionum ſuſpicionem evitarent, qua ſuſpicione hyberni tropici altitudines laborare agnoſcebant (de æſtivo enim nil tale verebantur) loci latitudinem ex polari ſtella definitam cum diſtantia a vertice tropici æſtivi comparabant, quorum arcuum differentia eſt eclipticæ obliquitas. En ejus obliquitatis calculum obſervationi ſolſtitiali omnium primæ hoc gnomone habitæ aptatum, neglectis refractionibus.

Anno 1655 die 21 Junii diſtantia meridiana apparens limbi inferioris Solis a vertice obſervata eſt	gr. 21. 15. 38
Superioris vero limbi	gr. 20. 42. 30
Diameter Solis quanta hoc inſtrumento apparuit	31. 8
Semidiameter	15. 34
Apparens ergo centri diſtantia a vertice	gr. 21. 0. 4
Parallaxis Solis ſubducenda circiter	4
Diſtantia centri a vertice a parallaxi exſoluta, eademque diſtantia tropici æſtivi a vertice (quod Sol in gr. 29. 46 Geminorum poſitus minus ſecundo a tropico abeſſet)	gr. 21. 0. 0
Latitudo apparens ad Divi Petronii e ſtella polari inventa	gr. 44. 30. 20
Ergo tropici declinatio ſive obliquitas eclipticæ apparens	gr. 23. 30. 20

quantam ſcilicet a Ricciolio hac methodo inventam memoravimus.

Hoc vero ipſum eſt in quo Caſſinus (uti ſupra diximus) refractionum ultra gradum 45 altitudinis minime negligendarum neceſſitatem agnovit, hi namque numeri tam obliquitatis eclipticæ quam latitudinis in diſtantiam a vertice tropici hyberni ex obſervationibus inventam minime quadrabant, vel ſi hæc diſtantia a refractionibus Tychonicis, aliiſve id temporis receptis emendaretur; ſervatis autem refractionibus & obliquitas eclipticæ, & latitudo paulo alia inventa, & ſolſtitii utriuſque obſervationes cum ſtellæ polaris altitudinibus conciliatæ ſunt in hunc modum.

Die 21 Junii 1655 diſtantia centri Solis a vertice a refractionibus, ac parallaxibus Caſſinianis expedita (uti in ſerie obſervationum) eademque diſtantia Tropici æſtivi a vertice	gr. 21. 0. 23
Die vero 21 Decembris 1656 diſtantia centri a vertice ab iiſdem refractionibus ac parallaxibus correcta uti in eadem ſerie	gr. 67. 58. 22
Diſtantia Solis a tropico in gr. 0. 26 Capricorni	2

Ergo diſtantia tropici hyberni a vertice	gr. 67. 58. 24
Diſtantia tropici æſtivi ut ſupra	gr. 21. 0. 23
Vera igitur tropicorum diſtantia	gr. 46. 58. 1
Cujus dimidium obliquitas vera eclipticæ	23. 29. 0 $\frac{1}{2}$
Qua addita diſtantiæ tropici æſtivi a vertice conſit vera latitudo ad Divi Petronii	gr. 44. 29. 23 $\frac{1}{2}$
Ex ſtella vero polari apparens altitudo poli ad D. Petronii elicita fuerat	gr. 44. 30. 20
Subducta refractione huic altitudini debita ex tabula Caſſiniana	1. 0
Fit rurſum vera latitudo ad Divi Petronii	44. 29. 20

ſecundis ſcilicet 3 $\frac{1}{2}$ haud amplius diſcrepans ab ea quæ a tropicorum obſervationibus eſt eruta, ut propterea merito Caſſinus veram latitudinem ad Divi Petronii atque in ipſo perpendiculi puncto ſtatuerit gr. 44. 29. 22, & veram eclipticæ obliquitatem gr. 23. 29. 0.

Ubi notandum ſi pro iis refractionibus ac parallaxibus quibus in hac obſervationum ſerie ad mentem Caſſini corrigenda uſi ſumus, numeros hoſce ex triplici illa tabella ad Malvaſiæ ephemerides adjecta ac cum Kepleriana parallaxi conjuncta depromere lubuiſſet, futurum ſane ut ex eo obliquitas eclipticæ parum mutaretur, quippe quæ prodiiſſet gr. 23. 29. 5, altitudo vero poli tam e ſtella polari quam e ſolſtitiis 15, aut 18 ſecundis minor inde conſurgeret, nempe gr. 44. 29. 5. Hac vero obliquitate nempe gr. 23. 29. 5, & poli altitudine gr. 44. 29. 5 (quos numeros Caſſinus ipſe tradiderat in exemplis quæ Malvaſiæ ephemeridibus ſubjecta ſunt) Montanarius, Fabrius, Guglielminus in calculis ſuis ſubducendis utebantur, antequam Caſſinus parallaxi Solis accuratius conſtituta triplicem illam tabulam antiquaſſet, ac ad priores refractiones rediiſſet.

Atque hæc prima eſt veræ obliquitatis eclipticæ inventio, cum ante illud tempus aſtronomi eam quæ vera eſſet ab ea quæ ob refractionum fallacias appareret haud ſatis diſtinxiſſent. Ex eo tempore plerique omnes numeros illos gr. 23. 29. 0 magno hocce inſtrumento primum compertos ratos habuerunt, aut certe perpaucis ſecundis ſcrupulis inde diſceſſerunt, præſertim cum obſervationes & Bononiæ & alibi ad aliquot ſaltem annos deinceps habitæ eoſdem comprobarent. Sed hoc ipſum mihi jam accuratius peculiari capite eſt pertractandum.

CA-

Caput XV.

De diverſitatibus quæ in eclipticæ declinatione hoc inſtrumento poſtmodum inventæ ſunt.

Aggredior hoc capite celebrem illam ac aſtronomorum pene omnium ſtudiis nobilitatam diſceptationem, conſtans ne an mutabilis ſit eclipticæ ad æquinoctialem circulum inclinatio; quam niſi ab obſervationibus immoto quopiam, eoque maximo inſtrumento, quale noſtrum hoc eſt, peractis annorum octoginta ſpatio dirimi potuiſſe, aut ſaltem adhuc poſſe arbitramur, vereor ut aſtronomis alia uſquam ejus rei dijudicandæ ratio ſuppetat.

Mihi certe ut primum haſce obſervationes undique colligere, atque inter ſe ſe conferre, ac contendere cæpi haud difficile fuit aliquam a primis inſtrumenti temporibus ad eam ætatem obliquitatis eclipticæ immutationem agnoſcere. Verum cum hæc ipſa immutatio cum quadam altitudinis poli inconſtantia conjuncta eſſet (quæ mihi res in aſtronomia inexplicabilis ſemper eſt viſa) in plures dubitationes diſtrahebar, ac modo inſtrumenti nondum a me exper ſi vitia, modo obſervandi indiligentiam, modo aeris noſtri naturam ſenſim variatam, modo alia comminiſcebar, quæ res annos pene quadraginta animi ancipitem me habuit, atque ad opus hoc in publicum emittendum tardiorem effecit; necdum ſatis me perſpicere fateor quid denique de re hac tota certo ſtatui poſſit. Verum ut ordine procedam eclipticæ variationes a poli viciſſitudinibus quantum ejus fieri poteſt ſeorſim expendam.

Primum ergo en ſeriem diſtantiarum tropicarum a vertice quotquot ab inſtrumenti conſtructione ad hoc tempus colliguntur ex obſervationibus vel ipſo ſolſtitio habitis vel minus biduo, ut plurimum, inde diſſitis, reductione ad ipſos tropicos ubi opus erat adhibita ex ea tabella quam capite 5 tradidi. Ubi advertendum nullam a me in hac ſerie rationem habitam eorum vitiorum, quæ anno 1722 in libramento lineæ comperta ſunt, ac capite undecimo in tabula recenſita, tum quod de eorum temporibus non liqueret, tum præſertim quod æquales in locis utriuſque ſolſtitii ex hac cauſa correctiones utrique diſtantiæ tropicæ debeantur, nempe utrobique ſecunda 14 addenda, (quod capite undecimo admonui) ac propterea tropicorum intervallum nihil quicquam inde mutetur.

Diſtantiæ tropici Cancri a vertice a refractione & parallaxi e Caſſiniana tabella exſolutæ, ad Divi Petronii.

Junii		G I II		G I II
1655	21	21.0.23	media	21.0.21
	22	21.0.19		
1656	21	21.0.20		21.0.20
1658	20	21.0.21	media	21.0.24
	21	21.0.26		
1663	20	21.0.31	media	21.0.32
	21	21.0.36		
	22	21.0.38		
1665	21	21.0.17		21.0.17
1667	21	21.0.23	media	21.0.18
	22	21.0.18		
	23	21.0.14		
1668	20	21.0.17	media	21.0.10
	21	21.0. 8		
	22	21.0. 5		
1669	19	21.0.20	media	21.0.14
	20	21.0.14		
	21	21.0.18		
	22	21.0. 6		
1670	20	21.0. 9	media	21.0. 9
	21	21.0.18		
	22	21.0. 1		
1672	20	21.0.11	media	21.0. 9
	21	21.0. 7		

Diſtantiæ tropici Capricorni a vertice a refractione & parallaxi e Caſſiniana tabella exſolutæ ad Divi Petronii.

Decemb.		G I II		G I II
1656	21	67.58.24		67.58.24
1658	20	67.58.12	media	67.58.12
	21	67.58.13		
1659	20	67.58. 8		67.58. 8
1660	20	67.58. 1	media	67.58. 0
	21	67.58. 0		
1663	21	67.58. 0	media	67.58. 0
	22	67.57.59		
1666	21	67.58. 7		67.58. 7
1667	22	67.58.14		67.58.14
1668	19	67.58.14	media	67.58.11
	20	67.58. 9		
	21	67.58.12		
	22	67.58.11		
1669	19	67.58.10	media	67.58.13
	22	67.58.16		

Junii		G I II	G I II
1673	21	21.0.14	media 21.0.15
	22	21.0.16	
1674	19	21.0. 4	media 21.0. 9
	20	21.0.15	
	22	21.0. 8	
1690	19	21.0.56	media 21.1. 1
	20	21.1. 4	
	21	21.0.58	
	22	21.1. 8	
1695	19	21.0.57	media 21.1. 3
	20	21.0.59	
	21	21.1. 9	
	22	21.1. 9	
1696	20	21.0.50	media 21.0.56
	21	21.1. 0	
	22	21.0.59	
1697	19	21.0.48	media 21.1. 3
	20	21.1.11	
	21	21.1.13	
	22	21.1. 2	
1698	19	21.1. 4	media 21.1. 7
	20	21.1.10	
	21	21.1. 6	
	22	21.1. 7	
1699	19	21.1. 1	media 21.1. 5
	20	21.1. 1	
	21	21.1. 7	
	22	21.1. 0	
1700	23	21.0.59	21.0.59
1701	20	21.0.57	media 21.1. 3
	21	21.1. 0	
	22	21.1.12	
	23	21.1. 2	

Decemb.		G I II	G I II
1691	20	67.58.30	67.58.30
1695	21	67.58.20	67.58.20
1697	19	67.58. 9	media 67.58.11
	20	67.58.13	
1698	20	67.58. 8	media 67.58.10
	22	67.58.12	

Junii		G I II	G I II	Decemb.		G I II	G I II
1702	21	21.0.48					
	22	21.1. 7	media 21.0.55				
	23	21.0.51					
1703	22	21.1. 4	media 21.1. 1	1703	21	67.58. 9	67.58. 9
	23	21.0.58					
1704	20	21.0.58					
	21	21.0.57	media 21.0.58				
	22	21.0.58					
1705	22	21.0.58	21.0.58	1705	20	67.58.16	media 67.58.14
					23	67.58.13	
				1706	20	67.58.24	67.58.24
1707	22	21.046	21.0.46	1707	21	67.58.17	67.58.17
				1709	19	67.58. 5	67.58. 5
1710	20	21.0.44	media 21.0.36				
	22	21.0.29					
1711	22	21.0.38	media 21.0.39				
	23	21.0.40					
1712	22	21.0.54	media 21.0.53				
	23	21.0.53					
1713	21	21.0.44	media 21.0.46				
	22	21.0.48					

Deinceps (ac forte aliquanto prius) ſingulis diſtantiis tropicis tam æſtivis quam hybernis hic notatis addas licet ſecunda 14 circiter ob depravatum lineæ libramentum, quemadmodum capite undecimo dictum eſt.

				1718	20	67.57.44	67.57.44
1719	21	21.0.51	media 21.0.48				
	23	21.0.46					
1720	20	21.0.53	media 21.0.48				
	21	21.0.43					
1721	22	21.0.36	media 21.0.41				
	23	21.0.46					

Ju-

Junii		G I II	G I II	Decemb.		G I II	G I II
1722	20	21.0.44	media 21.0.47	1722	21	67.57.49	media 67.57.52
	21	21.0.47			22	67.57.54	
	22	21.0.51					
	23	21.0.43					
1723	20	21.0.48	media 21.0.48				
	21	21.0.47					
	22	21.0.50					
	23	21.0.48					
1724	19	21.0.48	media 21.0.45				
	21	21.0.47					
	22	21.0.41					
1725	21	21.0.41	media 21.0.31	1725	21	67.58.3	67.58.3
	22	21.0.21					
1726	20	21.0.43	media 21.0.31				
	21	21.0.28					
	23	21.0.21					
1727	21	21.0.44	media 21.0.40				
	22	21.0.35					
	23	21.0.42					
1728	20	21.0.38	21.0.38	1728	21	67.58.12	67.58.12
1729	20	21.0.16	media 21.0.38				
	21	21.0.50					
	22	21.0.49					
1730	20	21.0.32	media 21.0.36				
	22	21.0.40					
1731	20	21.0.51	media 21.0.50	1731	23	67.57.46	67.57.46
	21	21.0.53					
	22	21.0.45					
	23	21.0.52					
1732	20	21.1.0	media 21.0.54	1732	21	67.57.41	media 67.57.40
	21	21.0.48			22	67.57.37	
					23	67.57.43	
1733	21	21.0.50	media 21.0.52	1733	20	67.57.37	media 67.57.44
	22	21.0.53			21	67.57.46	
					23	67.57.49	

Junii	G I II		G I II	Decemb.	G I II	G I II
1734 21	21.0.57	media	21.0.53	1734 22	67.57.50	67.57.50
22	21.0.52					
23	21.0.50					

Nemo mihi ut arbitror vitio vertet quod pro diſtantiis a vertice apparentibus veras ipſas diſtantias, eaſque e Caſſini potius quam aliorum tabulis a parallaxi ac refractione caſtigatas attulerim, non enim id agimus ut ipſam nunc eclipticæ obliquitatem menſuris comprehendamus, ſed ut denique decernamus an illa quicquam mutetur, qua in re perinde eſt veras an apparentes diſtantias ſpectemus, modo refractiones quibus ad illas emendandas utimur ex eadem perpetuo tabula depromamus.

Nunc ergo ſi tropica quælibet diſtantia æſtiva cum hyberna, vel eodem vel proximis ante aut poſt annis obſervata conferatur, apparebit quæ quovis tempore fuerit tropicorum intercapedo, ac ſubinde eclipticæ declinatio, quæ ejus intervalli eſt dimidia.

Veluti ſi diſtantia tropici æſtivi a vertice anno 1656 inventa	gr. 21. 0.20
cum diſtantia tropici hyberni ejuſdem anni componatur, quæ fuit	gr. 67.58.24
fiet tropicorum diſtantia	gr. 46.58. 4
& obliquitas eclipticæ anno 1656	gr. 23.29. 2
ſi vero diſtantia æſtiva anni 1695	gr. 21. 1. 3
cum hyberna ejuſdem anni conferatur	gr. 67.58.20
erit tropicorum intervallum	gr. 46.57.17
obliquitas vero eclipticæ anno 1695	gr. 23.28.38
ac denique ſi æſtiva anni 1733	gr. 21. 0.52
cum ejus anni hyberna comparetur	gr. 67.57.44
emerget tropicorum intercapedo	gr. 46.56.52
& declinatio eclipticæ anno 1733	gr. 23.28.26

Apparet ergo diſtantiam tropicorum ex anno 1656 ad 1695 ſecundis 47, ad annum vero 1733 ſcrupulo primo ac ſecundis 12 decreviſſe, ac propterea eclipticæ angulum cum æquatore dimidiis illis differentiis fuiſſe contractum; quæ diſcrimina tanta ſunt ut niſi obſervationibus vim inferamus, aut obſervatores omnino oſcitanter egiſſe arbitremur, aliqua diſſidii cauſa in cælo ipſo ſit agnoſcenda.

Non ignoro futuros qui haſce diverſitates a refractionum inconſtantia explicari poſſe arbitrentur, qui tamen neſcio quam apte & cohærenter ad communia experimenta dicturi ſint, ſtellarum enim inerrantium meridianas altitu-

dines

dines vix quicquam diverſas apparere, ſive noctu, ſive interdiu, hac vel illa anni tempeſtate obſerventur, ut aſtronomi accuratiſſimi teſtati ſunt, & nos in hoc Bononienſi obſervatorio plurium annorum uſu compertum habemus, ſi modo variationes illas ſeponamus, quæ vel a lentiſſimo fixarum motu, vel a ſingularum erroribus nuper detectis oriuntur, qui ipſi errores & perexigui ſunt, & annuo fere ſpatio iidem recurrunt. Plane in ſtella Sirii nihil ſibi accidiſſe quod ejuſmodi ſuſpicionem ingereret monuit Hiræus initio tabularum, & Jacobus Caſſinus in ejus parallaxim annuam ſubtiliſſime inquirens vix una vel altera ſtellæ diametro immutatam annuo ſpatio altitudinem comperit, cum tamen hæc tantumdem fere a Pariſienſi vertice quantum hybernus tropicus a Bononienſi abſcedat. Ad hæc ſi aeris conſtitutionem aliis anni diebus aliam eſſe, idque in refractionibus, vel ſupra viceſimum altitudinis gradum aliquid ad ſenſum facere poſſe concedamus, illud tamen paradoxi ſimile eſt quod ad rem hanc explicandam aſſumi oportet: refractiones ex anno 1656 ad 1695, ac rurſum ex hoc ad 1733 adeo mutatas ut mutatio hæc ſecundorum ibi 47, hic 72 diſcrimen effecerit; præſertim cum ex hac ſerie appareat minores mutationes hyberno tropico, ubi refractio major eſt, quam æſtivo, ubi minor, animadverſas, ac diſtantiam tropici hujus a vertice interdum triplo magis adauctam quam refractio tota quam illi tribuimus eam minuat.

Erunt fortaſſe alii qui inſtrumenti vitia vel cum primum conſtructum eſt vel cum pluries expenſum incomperta, aut perperam taxata in cauſa eſſe comminiſcantur. Mihi quidem aſtronomica inſtrumenta ſummo ſtudio fabricanda ac pari ſolertia expendenda videntur, verum ubi maximam quam præſtare licet diligentiam in eo poſitam conſcius tibi fueris, moroſum eſt, ac pene infinitum ſi quoties inexpectatum quiddam obſervando detexeris, ac rem ita eſſe iterato agnoveris ad ſuſpiciones relabaris, ac fidem ipſe tuam in dubium revoces. Deinde ſi rem ſedulo perpendamus hæc de eclipticæ variatione indago ejuſmodi eſt ut vix quicquam ſcrupuli ab exiguis gnomonis hujuſce mutationibus oriri poſſit. Nam foraminis conſtitutionem quod attinet, niſi ejus centrum vel in ipſa inſtrumenti conſtructione vel in ejus reſtitutione ita locatum fingamus ut in boream, vel in auſtrum pluribus particulis aberraret, non efficiemus, ut tropicorum diſtantia ſolido minuto ac eo amplius varia eſſe poſſit. Id autem vitii demiſſo tantum perpendiculo facile adeo explorari poterat, ut mirum ſit neque Caſſino, neque Fabrio, neque Montanario, neque ipſi Mengolo qui inſtrumenti redarguendi cauſas quæſiiſſe viſus eſt, neque nobis perſpectum fuiſſe. Porro centri altitudo ut diverſis annis tropicorum diſtantiam minuto diverſam exhiberet, vel partibus 1676 augenda vel 6714 minuenda foret, quemadmodum ſubductis calculis reperi, quod ſine concamerationis totius labe atque adeo ruina fieri non potuit. Equidem fateor ſi altitudinem repente eo temporis ſpatio quod inter ſolſtitia duo proxima interceſſit depravatam fingamus, paucarum particularum vitium ſufficere quo tantum diſſidii emergat; verum ſi forte hoc ipſum ſemel contigiſſe opinemur, anne toties credendum eſt quoties diſtantiam illam tropicorum denuo mutatam obſervationes evincunt? Idem de lapidum vitiis judicium ferre licet, ſi forte quis horum librationibus iterato ac diligenter peractis non acquieſcat;

illi enim tot, & tam variæ & ſubitæ & inter ſe diſpares lapidum commotiones fingendæ erunt, ut vix in maceria aliqua ac ruderibus temere congeſtis tale quippiam contingat. Nam quod attinet eas luxationes ſane exiguas quas anno 1722 invenimus, nulla earum ratio in eclipticæ obliquitate, ſed tantum in altitudine poli e ſolſtitiis inveſtiganda, habenda eſt, quod utriuſque loci ſolſtitialis vitia eandem fere ad unguem correctionis quantitatem poſcant, uti ſæpe diximus.

Reliquum eſt ut hæc diſſidia obſervandi difficultatibus ac erroribus tribuant, qui ſi eorum diſſidiorum partem aliquam ab hac cauſa petendam exiſtimant, facile aſſentior; ſin vero rem totam ex hoc explicari poſſe autumant, neceſſe eſt ut miras quaſdam ac conſtantes errandi leges ab iis qui ſolſtitiorum obſervationes egerunt ſervatas eſſe fateantur; veluti quod ex anno 1690 ad annum circiter 1705 æſtivo ſolſtitio nunquam minores ſed perpetuo majores limborum Solis a perpendiculo diſtantias notaverint quam anno 1655 ac proximis inde aliis notatæ ſint, contra hyberno ſolſtitio in hunc diem perpetuo fere per defectum, nuſquam per exceſſum peccarint. Sed hæc ex iis quæ ſtatim ſubjungam fient magis manifeſta.

Nunc enim poſtquam eclipticæ declinationem minime conſtantem invenimus reliquum eſt ut in illud inquiramus anne ejus mutationis certa ratio conſtitui ulla poſſit. Duplex de hoc ætate noſtra aſtronomorum eſt ſententia. Quidam inclinationem illam perpetuo minui exiſtimant, alii viciſſitudines ejus aliquas ſane agnoſcunt, ſed eas denique evaneſcere atque eclipticam in priorem poſitum ſe ſe reſtituere cenſent, qui enim variationem omnem pernegant atque id quodcumque apparet obſervationum ludibriis tribuunt, ſatis ut arbitror ex harum Bononienſium obſervationum ordine refelli poſſunt.


Priorem ſententiam aſtronomis nonnullis olim receptam, dein recentioribus minus probatam ac pene obſoletam revexit ætate noſtra eximius aſtronomus Eugenius Eques Louvillæus celebri diſſertatione de hoc argumento vulgata in actis eruditorum Lipſiæ anni 1719, idemque argumentum pluribus poſtmodum ſuccedentium annorum obſervationibus illuſtravit, quæ extant in commentariis regiæ academiæ Pariſienſis. Is ergo rem omnem ab antiquiſſimis Pitheæ Maſſilienſis temporibus repetens, ac inde ad Eratoſthenem, Ptolemæum, Albategnium, alioſque, primum Arabes, tum Europæos aſtronomos progrediens, eclipticæ atque æquatoris angulum perpetuo, & æquabiliter imminutum reperit, ita quidem ut intervallo annorum præterpropter 2000 minutis 21 decreverit; ſi modo veræ locorum latitudinis, quibus locis obſervationes actæ ſunt, ratio habeatur, ac obſervationes ipſæ a parallaxibus Solis, quas illi perperam conſtituerant, necnon a refractionibus liberentur. Angulum vero illum accuratiſſime ſibi definitum memorat anno 1715 graduum 23. 28. 24, unde ex illa quam tradit proportione efficitur anno 1656 fuiſſe grad. 23. 29. 1, nempe eum fere ad unguem quem ex utroque illius anni ſolſtitio hoc gnomone obſervato paulo antea ſupputavimus, ut propterea determinatio hæc in earum cenſum referri poſſit quas ille ad ſententiam ſuam firmandam undique collegit. Nuper etiam opinionem eandem egregio ejuſdem academiæ ſocio Godino argumentis pluribus confirmatam Lutetia ad me ſcri-

pſit

pſit præclarus juvenis Franciſcus Algarottus & ab his, & ab optimis quibuſque ſtudiis excultiſſimus.

Caſſinus autem etſi priorum ſolſtitiorum quæ hoc gnomone obſervaverat experimento confiſus eclipticæ obliquitatem annuo decremento ſecundorum ſex minui notavit in iis exemplis quæ Malvaſiæ ephemeridibus ſubjecit, non eam tamen diminutionis legem perpetuam ſtatuit, neque ad anteacta tempora protulit, quinimo diſſertationibus duabus, quas in eadem academia habuit, altera die 31 Martii 1672 de Maſſiliæ civitatis latitudine, altera die 31 Julii 1693 de altitudinis poli diverſitatibus, ita ſibi perſuaſum eſſe oſtendit aliquam ſane eſſe cum polorum, tum eclipticæ inconſtantiam, verum evagationem omnem intra unius vel alterius minuti fines conſiſtere. In eandem ſententiam Hiræus nonnulla edidit in ejus academiæ commentariis, ac Maraldus ſibi quoque, necnon viro ſummo Malezievio probari literis ad me ſuis ſignificavit; neque ab ea Jacobum Caſſinum abhorrere arbitror, cui obliquitatem illam ſuperiore anno gr. 23. 28. 20 inventam Celſius Pariſiis degens, ac cum eo obſervationibus vacans, nuper epiſtola ſua me monuit.

Ut ergo appareat quid denique e ſolſtitiis Bononiæ obſervatis efficiatur, declinationes eclipticæ, quæ e ſingulis proximorum duorum conjugationibus erutæ ſunt, hic ſubjeci; atque una altitudines poli ex iiſdem obſervationibus deductas, & mox uſui futuras adſcripſi.



Solſtitia obſervata	*Obliq. eclipt.* G l ll	*Lat. ad D. Petr.* G l ll
Æſtivum & hybernum 1656	23. 29. 2	44. 29. 22
Æſtivum & hybernum 1658	23. 28. 54	44. 29. 18
Æſtivum & hybernum 1663	23. 28. 44	44. 29. 16
Hybernum 1666 æſtivum 1667	23. 28. 54	44. 29. 12
Æſtivum & hybernum 1667	23. 28. 58	44. 29. 16
Hybernum 1667 æſtivum 1668	23. 29. 2	44. 29. 12
Æſtivum & hybernum 1668	23. 29. 0	44. 29. 10
Hybernum 1668 æſtivum 1669	23. 28. 58	44. 29. 12
Æſtivum & hybernum 1669	23. 28. 59	44. 29. 13
Hybernum 1669 æſtivum 1670	23. 29. 2	44. 29. 11
Æſtivum 1690 hybernum 1691	23. 28. 45	44. 29. 46
Æſtivum & hybernum 1695	23. 28. 38	44. 29. 41
Æſtivum & hybernum 1697	23. 28. 34	44. 29. 37
Hybernum 1697 æſtivum 1698	23. 28. 32	44. 29. 39
Æſtivum & hybernum 1698	23. 28. 32	44. 29. 39
Hybernum 1698 æſtivum 1699	23. 28. 33	44. 29. 37
Æſtivum & hybernum 1703	23. 28. 34	44. 29. 35
Hybernum 1703 æſtivum 1704	23. 28. 35	44. 29. 33
Æſtivum & hybernum 1705	23. 28. 38	44. 29. 36
Hybernum 1706 æſtivum 1707	23. 28. 49	44. 29. 35
Æſtivum & hybernum 1707	23. 28. 46	44. 29. 32
Hybernum 1709 æſtivum 1710	23. 28. 45	44. 29. 21
Hybernum 1718 æſtivum 1719	23. 28. 28	44. 29. 30
Æſtivum & hybernum 1722	23. 28. 32	44. 29. 33
Hybernum 1722 æſtivum 1723	23. 28. 32	44. 29. 34
Æſtivum & hybernum 1725	23. 28. 46	44. 29. 31
Hybernum 1725 æſtivum 1726	23. 28. 46	44. 29. 31
Æſtivum & hybernum 1728	23. 28. 47	44. 29. 39
Hybernum 1728 æſtivum 1729	23. 28. 47	44. 29. 39
Æſtivum & hybernum 1731	23. 28. 28	44. 29. 32
Hybernum 1731 æſtivum 1732	23. 28. 26	44. 29. 34
Æſtivum & hybernum 1732	23. 28. 23	44. 29. 31
Hybernum 1732 æſtivum 1733	23. 28. 24	44. 29. 30
Æſtivum & hybernum 1733	23. 28. 26	44. 29. 32
Hybernum 1733 æſtivum 1734	23. 28. 25	44. 29. 32
Æſtivum & hybernum 1734	23. 28. 28	44. 29. 35

Poſt annum 1710 altitudines poli adauxi ſec. 14 ob libramenti vitium, anno 1722 deprehenſum. vide ſup. cap. 11.

Mihi plane hanc ſeriem percurrenti neque uniformis anguli illius imminutio, neque tamen conſtans ex vacillatione reſtitutio apparet, ac ſi quid judico, omnino res eo ſpectare videtur ut eclipticæ planum perpetua quadam oſcillatione nutet, verum inter nutandum ad æquatoris planum (ſaltem ætate hac noſtra) ſenſim accedat. Ubi enim annos haud multum inter ſe ſe diſſitos conferas

feras obliquitas modo aucta modo imminuta videtur, interdum etiam nihil quicquam diverſa deprehenditur; verum ubi majus intervallum accipitur decrementa manifeſto prævalent. Ac ne cui fallaciæ ſit quod obliquitatis menſura gr. 23. 28. 45 annis etiam haud parum diſtantibus ſæpe recurrat, trium ſaltem aut 4 ſecundorum diſcrimine, veluti annis 1663, 1691, 1707, 1725, quæ propterea quaſi vera ac perpetua ſpectari, aliiſque rejectis una ſtatui debeat, præſertim cum inter reliquas fere ſit media; ne inquam ex eo decipiamur, perpendendum eſt menſuram hanc grad. 23. 28. 45 primis a gnomone conſtructo temporibus minimam fuiſſe, poſtremis vero hiſce annis maximam reperiri earum omnium quas ecliptica libratione illa attingat; ad annum enim 1670 nuſquam angulum ad ſecunda 25 vel 30 ſupra gradus 23. 28 contractum videas, quo nunc pertingit; contra nuſquam hoc tempore ad gradus 23. 29, ut tunc, ampliari animadvertas, ut plane aliqua ejus anguli extenuatio ſit agnoſcenda.

Id ipſum autem permultis aliorum obſervationibus confirmare poſſem, veluti Flamſtedii, Bianchini, Lavalii, necnon viri nobiliſſimi Paridis Marchionis Salvaghi, qui ſinguli hoc ineunte ſæculo vel ſuperiori exeunte in rem hanc inquiſiverunt, quorum dimenſiones etſi ad unguem non reſpondent, in id tamen conſpirant ut nuſquam obliquitatem eclipticæ grad. 23. 29, ſed perpetuo minorem efficiant, cum tamen Caſſinus, Hevelius, Richerius, Hiræus qui temporibus paulo ſuperioribus obſervabant, vel graduum ipſorum 23. 29 vel aliquanto majorem conſtituiſſent; verum hoc totum a Louvillæo in illa diſſertatione præſtitum eſt. Tantum addam obliquitatis imminutionem vel ſine calculorum ſubtilitate ex hoc gnomone in vulgus notam exploratamque eſſe, quod Solaris ſpecies ellipſes illas duas, quæ ad eam per ſolſtitia excipiendam e priorum annorum obſervationibus delineatæ fuerant, nuſquam impleat ſed aliquid ejus ab iis ellipſibus extrorſum verſus æquinoctiorum loca perpetuo promineat.

An autem hæc imminutio jam inde a Pitheæ & Eratoſthenis temporibus ducenda ſit, quod Louvillæus arbitratur, an deinceps expectandum ut eodem tenore pergat, ac demum ecliptica in æquinoctialem circulum procumbat, neque definire auſim, neque mei eſt inſtituti. Certe quidquid ejus futurum eſt, ſi uſpiam alias, Bononiæ potiſſimum magni hujuſce inſtrumenti ſubſidio explorari poterit.

Caput XVI.

De exiguis altitudinis poli varietatibus hoc gnomone compertis.

Vix eſt ut ab ea indagine quam hactenus ſum proſecutus indago alia ſegregari poſſit quæ ad poli altitudinem attinet, cujus varietates, quantum eas e ſolſtitiis perſcrutari licet, in ſynopſi nuper tradita manifeſtæ ſunt. Hæ autem diverſitates vel ex eo facile arguuntur, quod dum eclipticæ inclinatio iden-

identidem mutatur, minime æqualis utriuſque tropici ad æquatorem acceſſus, vel ab eo receſſus obſervetur, ſed alteri eorum major, alteri minor, aut nullus, quinimmo interdum in diverſum mutatio accidat. Si enim quantum æſtivus tropicus a vertice receſſit tantumdem hybernus acceſſiſſet, aut illo ſe ſe attollente hic pari ſpatio depreſſus foret, nihil quicquam varia prodiret æquatoris diſtantia a vertice, quæ altitudini poli perpetuo æqualis eſt; nunc vero ſecus contingere e diſtantiarum tropicarum ſerie ſupra poſita liquet, ſi ejus numeri diligenter inter ſe ſe conferantur. Nam ut unum in plurimis exemplum afferam, apparet diſtantiam a vertice tropici Cancri, quæ anno 1658 fuerat gr. 21. 0. 24, anno 1697 fuiſſe gr. 21. 1. 3 ac propterea augmentum eo tempore ſuſcepiſſe ſecundorum 39; cum tamen diſtantia tropici Capricorni, quæ anno 1658 inventa fuerat gr. 67. 58. 12, nullo vel inſenſili decremento comperta ſit anno 1697 grad. 67. 58. 11; contra ex anno 1697 ad 1709 vel 1710 diſtantia a vertice tropici Cancri contracta eſt ſecundis 27, Capricorni vero adeo non tantumdem eſt adaucta, ut etiam ſecundis 6 imminuta fuerit. Ex hoc ergo neceſſario conſequitur æquinoctialis circuli, quippe medio inter tropicos loco conſtituti, poſitum identidem alium reperiri.

Ne autem iterum in obſervationum incertitudinem hæc diſſidia rejiciamus perpendendum eſt ea quidem exigua cenſeri poſſe ſi ad ea referantur quæ in altitudine poli minoribus inſtrumentis inveſtiganda conſurgere ſolent, ſecus ſi ea ſubtilitas ſpectetur quam maximus hic gnomon præſtare poteſt. Minima enim latitudo omnium quæ inventæ fuerint, ea nempe quæ prodiit anno 1670 gr. 44.29.11, ſecundis 35 differt a maxima quæ in annum 1691 convenit gr. 44 29. 46, majori ſane diſcrimine quam ut ſedulum hoc inſtrumento obſervatorem fallat, præſertim cum ſingulis fere annis tropicæ hæ diſtantiæ e plurium dierum obſervationibus mediæ electæ fuerint, ac præterea errores ſi qui ſunt, cum rationes ſubducuntur nonniſi dimidii ſupereſſe poſſint, quod ad latitudinem conflandam dimidium tantum tropicorum intercapedinis in ſummam imputetur, ut taceam latitudinum quæ ad ſingulos annos deductæ ſunt (præſertim ex anno 1656 ad 1670) decrementa ordinem quemdam ſervare, iterumque ex anno 1691 ad 1710 haud diſſimili lege progredi, quæ ſane nihil vagum ac fortuitum quod in obſervando contingat, ſed certum quiddam ac conſtans præſeferre videntur, quod ſive in verticalis puncti poſitu, ſive in ipſis polis ac mundi axe agnoſcendum ſit.

Sed quando prioribus illis annis latitudo e ſolſtitiis eruta eadem e ſtella polari ſummo conſenſu eliciebatur, tentandum exiſtimavi an ejus mutationes, quas ſolſtitiales altitudines proderent, ſtellarum quoque teſtimonio confirmarentur. Equidem ut in ipſis Divi Petronii ædibus id experiri liceat peculiare inſtrumentum Caſſini ac Gulielmini cura conſtructum fuerat anno 1695, ac deinceps in hoſce uſus ſervatum, cujus inſtrumenti deſcriptio una cum gnomonis hiſtoria eodem anno eſt edita, ac ſane ejus ope ſtellarum altitudines eadem ſubtilitate definire licet qua Solis poſitum ex hac linea arguimus, verum uſus nonnihil eſt operoſus. Stella enim meridianum pertranſiens per pinnulam aut teleſcopium machinæ aptatum inde ſpectanda eſt unde regularum duarum in ſublimi poſitarum, quarum altera verticalis eſt, horizontalis altera, angulum diſtrin-

diſtringere videatur, quod cum noctu peragendum ſit neceſſe eſt ut angulus ille lumine ſatis vivido colluſtretur, id quod nonniſi tabulatis ſubſtructis, ſcaliſque prælongis admotis aſſequi licet, quod borealis ædium feneſtra, cui regulæ illæ ſunt appoſitæ, pedes amplius 75 a pavimento attollatur. Ut hoc incommodi evitarem eos anni dies captabam quibus ſtella polaris in ipſa crepuſculi luce ad meridianum appelleret, verum cum fieri nequeat ut eadem anni tempeſtate uterque ejus tranſitus in crepuſculum incidat, obſervatio de altera duarum altitudinum meridianarum peracta cum ea componenda erat quæ alia tempeſtate de altera haberetur, id quod propter ſtellæ evagationes fallax eſſe poterat; itaque cum in eo mihi non ſatisfacerem indaginem hanc dimiſi, & alibi tentandum duxi.

Anno igitur 1703 menſe Decembri in obſervatorio domeſtico Aloyſii Ferdinandi Comitis Marſilii, viri de optimis diſciplinis præclare meriti, altitudinem poli ejus loci ita cum Stancario definivi quadrante cujus radius pedum Bononienſium trium:

Diſtantia a vertice ſtellæ polaris in parte ſuperiori meridiani plurium dierum obſervationibus inventa	gr. 43. 12. 42
Diſtantia ejuſdem in parte inferiori meridiani per eaſdem noctes bis obſervata	gr. 47. 46. 26
Differentia	gr. 4. 33. 44
Differentiæ dimidium ſeu diſtantia ſtellæ a polo boreo	gr. 2. 16. 52
Ergo apparens diſtantia poli a vertice	gr. 45. 29. 34
Refractio Caſſiniana addenda	1. 0
Diſtantia vera poli a vertice	gr. 45. 30. 34
Et vera poli altitudo in obſervatorio Marſiliano	gr. 44. 29. 26
Obſervatorium hoc ex menſuris geodeticis hoc anno 1735 accurate actis auſtralius eſt æde Divi Petronii in ipſo perpendiculi puncto decempedis Bononienſibus 63 nempe ſecundis circuli maxime fere	8
Ergo vera altitudo poli ad D. Petronii anno 1703	gr. 44. 29. 34
quæ ex obſervationibus ſolſtitialibus ejuſdem anni eruta fuerat	gr. 44. 29. 35

Idem inveſtigavimus anno 1706 menſibus Octobri ac Novembri per ſtellam alia circumpolarem, eamque inſignem Urſæ majoris in humero, quæ Bayero *α* notatur; utebamur autem ſemicirculo murali cujus radius pedum Bononienſium 4.

Altitudo apparens ſtellæ in parte ſuperiori experimentis tribus inventa	gr. 71. 10. 49
Refractio ſubtrahenda ex Caſſini tabula	20

Alti-

Altitudo ſuperior vera	gr. 71.10.29
In parte vero inferiori altitudo apparens ex obſervationibus quatuor	gr. 17.51.34
Refractio Caſſiniana ſubtrahenda	gr. 3. 2
Altitudo inferior vera	gr. 17.48.32
Altitudinum verarum differentia	gr. 53.21.57
Semidifferentia	gr. 26.40.58
Elevatio vera poli in obſervatorio Marſiliano	gr. 44.29.30
Differentia parallelorum ut ſupra addenda	8
Ergo elevatio poli in Divi Petronii anno 1706	gr. 44.29.38
Ex obſervationibus ſolſtitialibus inventa ibi fuerat anno 1705	gr. 44.29.36
Anno autem 1707	gr. 44.29.35

Præterea eodem anno 1706 quamplurimas ſtellarum aliarum circumpolarium obſervationes eodem inſtrumento murali peregimus menſibus Octobri, Novembri, ac Decembri, e quibus ſingulis altitudinem poli in obſervatorio Marſiliano eruimus non majorem grad. 44. 29. 56, nec minorem gr. 44. 29. 8, mediam vero inter omnes definivimus grad. 44. 29. 35, atque in eam altitudinis menſuram e duabus ſupra viginti ſtellis quatuordecim ita conſpirant, ut ab ea nonnullæ per defectum, aliæ per exceſſum plus ſecundis 10 non diſſideant, cui quidem mediæ menſuræ reſpondent ad Divi Petronii gr. 44. 29. 43; unde illud ſaltem manifeſto evincitur earum ædium latitudinem anno 1706 majorem fuiſſe quam Caſſinus ac Ricciolius tam miro conſenſu anno 1656 invenerant, ac ſolſtitiales ejuſdem anni altitudines confirmaverant, grad. nempe 44 29. 22. Quod autem inſtrumento eodem murali polaris ſtella reliquis non reſponderit (quippe quæ latitudinem exhibuit in obſervatorio gr. 44. 30. 13) id ſcilicet in cauſa fuiſſe arbitror quod inſtrumenti planum meridiani plano exacte non congrueret, ac præterea filum, quod in foco teleſcopii horizontis plano æquidiſtans ſtatui debet, eum poſitum exquiſite non ſervaret; quæ duo, ubi immotis inſtrumentis utimur, niſi maxima cura proſpecta ſint, diſſidia haud ſpernenda in iis ſtellis efficere poſſunt, quæ circuitus anguſtiores circa polum deſcribunt.

Denique anno 1728 eandem indaginem aggreſſi ſumus in publico obſervatorio Bononienſis ſcientiarum inſtituti; utebamur autem & ſemicirculo & quadrante eodem quo anno 1703, ac alio præterea quadrante tripedali, quem maximus optimorum ſtudiorum & patronus & cultor Alexander Cardinalis Albanus obſervatorio dono dederat, quæ inſtrumenta ſingula ex recenti ſummo ſtudio a nobis ſeorſim expenſa, ac ad rectam conſtitutionem redacta fuerant. Cum autem omnia una tractanda eſſent, officia mecum partiebantur Franciſcus Zanottus, Jo: Jacobus Parma, Joſeph Bolſius Marcheſius, Franciſcus

ciſcus Vandellius, Franciſcus Algarottus, Euſtachius Zanottus. De altitudinibus tamen ſemicirculo murali captatis nihil exacti ſpondere auſim pluribus de cauſis, ſed computi ſumma eodem cum aliis inſtrumentis recidit.

	Quadrante Albaniano G ′ ″	*Quadrante Marſiliano* G ′ ″	*Semicirculo murali* G ′ ″
Altit.max.ſtellæ Pol.Nov.& Dec.1728 pluries	46.39.10	46.39.12	46.39.35
Ejuſdem altitudo minima Decembri	42.22.35	42.22.30	42.22.10
Differentia altitudinum	4.16.35	4.16.42	4.17.25
Semidifferentia ſeu diſt. ſtellæ a polo boreo	2. 8.17	2. 8.21	2. 8.42
Unde altitud.poli apparens in obſerv. publico	44.30.52	44.30.51	44.30.52
Refractio Caſſiniana ſubtrahenda	1. 0	1. 0	1. 0
Vera altitudo in obſervatorio publico	44.29.52	44.29.51	44.29.52
Ex menſuris geodeticis anno 1735 peractis locus perpendiculi in D. Petronii auſtralior eſt obſervatorio	14	14	14
Ergo vera altit.poli ad D.Petronii anno 1728	44.29.38	44.29.37	44.29.38
Ex obſervationibus ſolſtitiorum ejuſdem anni 1728 arguitur latitudo ad D. Petronii	44.29.39	44.29.39	44.29.39

Hæ igitur obſervationes, juxta atque aliæ ſuperius allatæ eaſdem fere poli altitudines reſtituunt quæ per eadem tempora e ſolſtitiis eruuntur, earumque rectitudinem confirmant; ac illud prætera oſtendunt correctionem a vitiato lineæ libramento in locis ſaltem ſolſtitiorum haud male reſpondere, tametſi vitia illa in regula tantum ferrea explorata fuerant, & ab eo experimento anni jam plures abjerunt. Quæ cum ita ſint, ſtatui poſſe videtur latitudinem minime conſtantem eſſe, ſed incrementa aut decrementa ut ut exigua interdum ſuſcipere; id enim ut vel invitus agnoſcerem tot ac tam diverſarum obſervationum conſenſus a me extorſit: neſcio an & aliis perſuadebit.

Quo autem minus inopinatum id accidat faciunt plurium ſuperioris ævi aſtronomorum teſtimonia, necnon Caſſini ipſius judicium, cujus diſſertationem de eo argumento anno 1693 editam ſuperiori capite memoravimus. Is enim poſt plurimas, cum ſuas tum aliorum obſervationes de ſtella polari relatas, atque expenſas oſtendit latitudinis diverſitatem eodem in loco interdum ad minuta duo exurgere; neve hoc diſtantiæ ſtellæ a polo tribui poſſit, quæ diſtantia ob ſtellæ aberrationes adhuc incompertas, perperam aſſumpta fuerit, in ſingulis obſervationibus illis quas affert utraque ſtellæ altitudo meridiana notata fuerat atque exinde latitudo elicita. Itaque Bononienſem latitudinem nonnihil mutatam adeo non mirari debemus, ut imo liberaliter nobiſcum actum exiſtimandum ſit, quod variatio longe infra minuta illa duo ha-

ctenus conſtiterit, quippe quæ tertiam præterpropter minuti partem non exceſſerit, ſi medias ſingulorum temporum menſuras ſpectemus, id quod fortaſſe inſtrumenti hujuſce magnitudini ac obſervationum ſubtilitati tribui poteſt.

Non eſt mihi reticendum quod Jacobus Caſſinus in itinere Italico retulit, ac Caſſinus quoque Pater in deſcriptione meridianæ hujus lineæ indicaverat: Bononiæ latitudinem anno 1694 die 30 Decembris ex ſtella polari octante aſtronomico a ſe definitam grad. 44. 30. 17, iterumque die 1. Novembris 1695 gr. 44. 30. 39, ac denique die 7 Novembris eo inſtrumento cujus ſupra meminimus inventam cum Gulielmino ad Divi Petronii gr. 44. 30. 21, cui determinationi utpote fere mediæ adhærendum arbitratur; etſi autem hæc latitudo ſecundis 40 eam excedit quam anno eodem 1695 e ſolſtitiis erutam in ſynopſi tradidimus gr. 44. 29. 41, tamen confirmari ſaltem ex eo videtur majorem tunc fuiſſe quam anno 1656, quo graduum 44. 29. 22 taxata fuerat. Ceterum cum in illis obſervationibus altitudo ſtellæ in parte tantum ſuperiori explorata fuerit, ac modo ex comparatione cum ea quæ in Pariſienſi obſervatorio notabatur, modo ex aſſumpta ſtellæ a polo diſtantia latitudines ſint elicitæ, res ex hiſce obſervationibus ſubtiliſſime conſtituta non videtur.

Qua porro ratione enarratæ hactenus diverſitates explicari queant, an ſcilicet verticalis potius lineæ detorſioni ex telluris figura fortaſſe mutabili ortæ, quam terreſtris axis trepidationi, aut turbinationi tribuendæ ſint (id quod ab aliqua meridianorum terreſtrium luxatione diſiunctum eſſe non poſſet) aliis perpendendum relinquo. Quouſque enim plurimæ obſervationes & hic, & alibi actæ certas harum viciſſitudinum, ſi modo ullæ ſunt, menſuras, ac leges non prodant, nil niſi figmenta, ac divinationes afferre licet.

CAPUT XVII.

De tabulis Solaribus harum obſervationum ope primum accurate confectis.

NEque locum Solis in meridiano ſine refractionum ac parallaxeon notitia inveniri, neque ex eo invento ſine poli altitudine atque eclipticæ obliquitate poſitum in Zodiaco inveſtigari poſſe ſupra diximus. Sunt ergo hæc quatuor ſupputationum omnium quæ ad Solem, atque adeo ad planetas ceteraſque ſtellas ſpectant, fundamenta, ac aſtronomici computi quaſi elementa quædam, quæ ſane quam accurate ex hoc gnomone conſtituta fuerint hactenus declaravimus. Verum ad ipſum Solis motum penitus intelligendum ac certis numeris adſtringendum non ſat eſt plurimas ejus in ecliptica poſitiones inveniſſe. Arte præterea ac ſolertia opus eſt quo motus ille, quem inæqualem eſſe ſtatim apparet ex æqualitate quapiam derivari, ejuſque celeritatum leges, menſuræ, termini præfiniri queant.

Veteres aſtronomi cum perſuaſione quadam ducti nullum in cælis motum niſi circularem & æquabilem agnoſcerent eam omnem inæqualitatem quæ in Sole obſer-

obſervatur opticam arbitrabantur, ac ex eo profectam quod tellus ab ejus circuli centro nonnihil abeſſet, quem circulum Sol æquabili motu deſcriberet; ex ea enim hypoteſi fiebat ut circuli illius partes tametſi æquales nihilominus viſui noſtro inæqualiter objectæ angulis minime paribus aſpicerentur, quibus angulis ſtellarum motus metimur. Hanc quidem cauſam, obſervationibus non valde accuratis decepti, Solaribus anomaliis explicandis ſatis aptam rebantur, verum ubi ad planetas alios ventum erat, cum eam non æque ſatisfacere perſpexiſſent aliud præterea centrum comminiſcebantur, ad quod ſi planetæ motus referretur æquabilis eſſet, tametſi planeta in circulo ſuo inæqualiter procederet; itaque hypoteſim illam æquabilitatis verbo tenus ſervabant, re autem ipſa tollendam agnoſcebant, cum opticæ inæqualitati phyſicam adjungi opus eſſet quo planetarum motus explicarentur.

Keplerus circularem figuram, quo phœnomena ſalva eſſent, antiquandam, ac ellipſim ſubrogandam, æqualitatem vero minime in arcubus aut angulis ſed in areis ſpectandam opinatus eſt, atque id de ſtella Martis ac de errantibus pleriſque aliis, aſtronomis pene omnibus perſuaſit; de Sole autem res adhuc agitabatur cum Caſſinus gnomone hoc conſtructo controverſiæ dirimendæ facultatem ſibi oblatam exiſtimavit. Si enim nulla niſi apparens inæqualitas Soli obtingeret neceſſe erat celeritatem ejus augeri pro eo fere ac diſtantia minueretur; cum ergo & apparens magnitudo eadem proportione diſtantiis reſpondere debeat, conſequens erat ut celeritatum ratio diametrorum apparentium rationem ſequeretur; quod an ita eſſet hoc inſtrumento certiſſime exploratum iri cenſuit, quo & diametri Solis quotidie menſuris comprehendi poſſent, & celeritates e duorum, aut plurium continentium dierum longitudinibus argui. Itaque cum multa ejuſcemodi experimenta cæpiſſet, non modo aſſumptionis illius falſitatem agnovit ſed celeritatum rationem diametrorum duplicatam eſſe comperit, quod in Keplerianam arearum æqualitatem mirifice quadrabat. Mirum eſt autem hanc celeritatum legem ac proportionem, quæ aliis ſubinde aſtronomis eadem inventa eſt, accurate adeo perſpici illi potuiſſe e ſolaribus diametris, cum diametri ipſæ, quippe ex hoc inſtrumento definitæ, minime accuratæ eſſent, quemadmodum capite 4 declaravimus; ſed fors tulit ut in iis quibus uſus eſt obſervationibus diametri quamquam veris minores veram tamen harum rationem ſervarent. Quanti autem momenti res hæc ad aſtronomiam eſſet vel ex eo intelligere licet quod diſtantia centri Solaris orbitæ a tellure duplo inde minor prodiret quam ubi inæqualitas omnis tantummodo apparens eſſet, ac propterea diſtantia Solis appogæa ſupra perigæam ſemiſſe tantum ejus differentiæ augeretur qua in illa hypoteſi augenda fuerat, unde & aliarum omnium diſtantiarum extra apſides mira varietas conſurgebat, qua ignorata ne aliorum quidem planetarum ad tellurem poſitus cognoſci poterant.

Hiſce ergo fundamentis Caſſinus anno 1660 ſolares tabulas ſuas ſuperſtruxit, prioribus tabulis antiquatis quas ante refractiones inventas adornaverat. In iis conſtruendis ellipticam Solaris orbitæ figuram cum Keplero retinuit; ſed cum in hypoteſi ipſa Kepleriana de arearum æqualitate valde operoſa eſſet Solaris anomaliæ per annum diſtributio, ac multo etiam difficilior apogæi in-

ventio, ac ſpeciei ellipſeos determinatio, compertum autem eſſet ſi pro areis anguli in alio ellipſeos umbilico (quorum umbilicorum alterum Terra occupat) tempori proportionales ponerentur, futurum ut pene eadem toto anno Solis longitudo prodiret, in hanc hypoteſim eſt delapſus, cui & Sethus Vuardus in Anglia, & Comes Paganus in Gallia adhæſerunt, atque in ea hypoteſi problema illud difficillimum de ellipſeos ſpecie ejuſque axis poſitione e tribus aut pluribus obſervationibus determinanda primus elegantiſſime ſolvit, cujus ſolutionis demonſtratio a Jacobo filio edita nuper eſt in commentariis academiæ Pariſienſis anni 1723.

Has itaque omnium primas toto anno Soli reſpondentes tabulas aſtronomia habuit, neque enim aut Philolaicæ Bullialdi, aut Bononienſes Ricciolii, aut Rudolphinæ ipſæ Kepleri, quamquam eidem aut parum diverſæ hypoteſi aptatæ eſſent (quod antea fuerant nullæ) ſat exquiſite præſtare id poterant, quippe quæ ex obſervationibus minime a refractionum fallacia caſtigatis, atque adeo falſis concinnatæ fuerant. Eas tamen tabulas Caſſinus nuſquam edidit, ſed Malvaſiæ, Montanario, Graſſino, Fabrio, Mezzavaccæ aliiſque nonnullis tradidit, indeque ephemerides Solis ex anno *1661* ſupputari cæptæ. Tanta autem erat earum ephemeridum cum cælo conſenſio, ut quoties puncta duo in hac meridiana linea notarentur, quæ puncta ab utroque ſpeciei margine attingenda ephemerides indicarent, nuſquam prædictio falleret. Id uti ſæpius fieret Caſſinus Montanarium rogaverat per eam epiſtolam quæ ephemeridi Montanarii anni *1666* eſt adjecta, quo videlicet eorum ſermones obtunderet qui & novas refractiones ab ipſo invectas cavillabantur, & tabulas alias præ Caſſinianis extollebant; ac ſane id ſæpius factum, præſertim anno *1669*, ac experimenta a Caſſini tabulis ſtetiſſe Fabrii autographa teſtantur.

Eundem eventum obſervationes aliæ ſortitæ ſunt quas annis *1672*, & *1673* in inſula Cayenna peregit Richerius; cum enim ejus inſulæ meridianum a Bononienſi horis 4. 21 in occaſum abire compertum eſſet, Sol autem intervallo annorum Julianorum novem horis ipſis 4. 21 ſerius ad idem Zodiaci punctum revertatur, fiebat ut annis illis duobus quoties Sol ad inſulæ meridianum appelleret eandem adamuſſim longitudinem haberet quam ante annos novem, annis ſcilicet *1663* & *1664* iiſdem diebus in meridiano Bononiæ habuerat, quibus annis extabant Caſſinianæ ephemerides Bononienſi meridiano a Malvaſia aptatæ. Earum ergo Ephemeridum numeros Richerianæ obſervationes a refractionibus exſolutæ plerumque tam exſquiſite repræſentabant, quam optari poſſet; ac ſi interdum pluſculum ab iis deſciſcerent, obſervationum ipſarum ordo vitio habitas palam faciebat.

Ceterum cum e paucorum annorum obſervationibus neque medius Solis motus, neque apogæi progreſſus ſatis exploratus eſſe poſſet, ac præterea perdifficile eſſet in taxanda maxima Solis inæqualitate ne ſolido quidem minuto decipi (quod errorculi in diſtantiis a vertice inter obſervandum admiſſi ut minimum triplo fere in longitudinibus exſcreſcant) Caſſinus nonnulla poſtmodum in tabulis illis expolienda agnovit, quod ejus ad me literæ die 13 Septembris *1699* Lutetia datæ teſtantur, motum enim medium Solis quarto quo-

vis

vis anno ſecundis tribus a ſe adauctum, ejuſque inæqualitatem minuti ſemiſſe ſucciſam memorant. Has ego tabulas poſt ſupremam illis manum impoſitam anno 1711 per Maraldum accepi, deinde vero a Fevillæo ſecundo volumine itinerum anno 1714 editas vidi. In iis ſemidiametri Solis quæ cuilibet anomaliæ gradui reſpondent, ellipticæ orbis figuræ aptatæ ſunt, quod ſecus erat in alia ſemidiametrorum Solarium tabula quam Caſſinus ipſe ad denos anni dies ex obſervationibus teleſcopio habitis concinnaverat, ac in elementis aſtronomiæ ediderat. Ex his porro tabulis deprompta hactenus ſunt ephemerides illæ quas in uſum Bononienſis obſervatorii ab anno 1715 inchoatas in annum 1725 perduxi, alii vero mecum ad 1750 protulerunt. Denique hoc ipſo anno 1735 qui annus dum hæc conſcriberem obrepſit, egregius juvenis Jo: Dominicus Maraldus, Jacobo Philippo patruo in regia academia Pariſienſi ſuffectus ex iiſdem tabulis ephemeridem illam edere cæpit quæ *notitia temporum* inſcribitur, ac quotannis ejuſdem academiæ mandato vulgatur.

Neque tamen interea in perveſtigando Solis motu exterorum ceſſavit induſtria. Anno etenim 1661 prodierunt Thomæ Streetii Angli aſtronomicæ tabulæ (Carolinas appellavit) quas iterum anno 1705 una cum calculorum præceptis latine redditis Norimbergæ edidit Joannes Gabriel Doppelmayerus, vir de hiſce ſtudiis præclare meritus. Flamſteedius etiam in ea quæ Horoccii operibus inſerta eſt diſſertatione de dierum inæqualitate canones ſolares ſuos anno 1672 evulgavit; Philippus vero Hiræus anno 1686 Solares & ipſe cum Lunaribus protulit, quibus reliquorum deinde planetarum tabulas, multorum annorum obſervationibus elaboratas adjunxit, ac problematis pluribus qua ſupputandi qua obſervandi artem mire perficientibus exornavit. Adhæc anno 1690 ab accuratiſſimo cæli obſervatore Joanne Hevelio Conſule Gedanenſi emiſſus eſt aſtronomiæ prodromus, in quo Solis curſum numeris & ipſe ſubjecit. Teruntur præterea calculatorum manibus inſignis apud Anglos mathematici Gulielmi Viſthoni tabulæ in publicum editæ anno 1707, quarum numeros ad Solem ſpectantes e Streetianis ac Flamſteedianis a ſe correctis deductos teſtatur. Sed & vir nobiliſſimus Joannes Philippus Vurzelbau Norimbergæ, in civitate hiſce ſtudiis celeberrima ſolares ſuos canones protulit anno 1719, quos Noricos inde appellavit. Summi vero philoſophi atque aſtronomi Equitis Neutoni Solares rationes juxta cum Lunaribus dum a præſtantiſſimo Halleyo tabulis digeſtas expectamus, fecit ut deſiderium hoc æquius ferre liceat eximius & ipſe aſtronomus Nicaſius Grammaticus Soc. Jeſu, ex quo planetam utrumque ad Neutoni mentem paucis pagellis, Ingolſtadii anno 1726 editis, comprehendit. Denique Louvillæus novos ſolares numeros a ſe ſe concinnatos Pariſienſis academiæ commentariis inſeruit anno 1720.

Quænam autem e tot aſtronomorum tabulis exquiſitius cælo reſpondeant judicare neque mei eſt inſtituti, & immenſæ foret operæ, præſertim cum propter multa quæ ad earum conſtructionem aſſumenda ſunt elementa fere contingat ut & aliis annis, & aliis ejuſdem anni diebus aliæ aliis præſtare videantur; ac plerumque adeo modica ſint quarumdam inter ſe ſe diſſidia (quod in Caſſinianis præſertim, Hiræanis, ac Neutonianis accidere animadverti) ut obſervationum, vel maximo hocce inſtrumento habitarum, ſubtilitatem eludant.

Adhæc

Adhæc quo de ſingularum fide judicium ferre liceret, obſervationes ipſæ a refractionibus ad ſingulorum auctorum præſcriptum purgandæ forent, & eclipticæ obliquitas, necnon loci latitudo ex iiſdem refractionibus conſtituenda, quod infinitum pene eſſet. Mihi quid meridiana hæc linea ad Solarem motum longe accuratius quam a veteribus factum erat explorandum, ac numeris comprehendendum, ipſamque adeo aſtronomiam reſtituendam contulerit, ſat eſt hactenus declaraſſe. Quid autem ad ſummam in ea re ſubtilitatem attingendam conferre adhuc poſſit proximo capite aggrediar.

CAPUT XVIII.

De Æquinoctiis definiendis, deque anni tropici quantitate conſtituenda.

HAud ſatis officio ſe feciſſe aſtronomi arbitrantur ubi numeris ſuis planetæ cujuſpiam motum accurate repræſentaverint, niſi & perpetuo repræſentent, aut certe, quando hominibus perpetuitatem ſpectare ambitioſum ac pene improbum videri poteſt, eorum numerorum uſum ad longiſſima ſaltem ante ac poſt tempora non proferant. Id autem aſſequi non unius hominis opus eſt ſi a propriis tantum experimentis inſtructus rem ſibi conficiendam ſumat. Fac enim planetariæ orbitæ figuram ejuſque poſitum annorum aliquot obſervationibus exquiſite conſtitutum; fac in ea orbita motus legem, omnemque inæqualitatum viciſſitudinem certiſſime exploratam; fac demum neque orbitæ dimenſiones, neque ejus centri ad tellurem poſitum uſquam deinceps immutandum; tamen cum fieri nequeat ut tempus illud quo planeta converſionem ſuam abſolvit paucis illis annis ad minima uſque & inſenſilia ſcrupula taxatum fuerit, ac multo minus ut lineæ apſidum motus, quem aliquem eſſe conſtat, accuratiſſime ſit compertus, neceſſe eſt ut errores qui initio ſenſum omnem effugerant multorum denique annorum lapſu coacervati ſe ſe prodant, ac tabulæ paulatim a cælo deſciſcant. Itaque aſtronomorum omnium ſententia duo hæc, nimirum planetæ periodus, quam periodum quum de Sole quæſtio eſt annum vertentem, ſeu tropicum appellamus, & apogæi motus non aliunde quam ab obſervationibus hominum memoriam tranſcendentibus repetenda earumque cum recentioribus collatione inveſtiganda ſunt. Etſi autem quo longius experimenta ducuntur eo ad hanc indaginem aptiora exiſtimantur, tamen ea fuit veterum in obſervationibus peragendis indiligentia, contra earum quæ hoc inſtrumento habentur tanta eſt ſubtilitas, ut parum abſit quin horum octoginta annorum ſpatio paria cum illis præſtare poſſint, quæ inde a primis aſtronomiæ temporibus ad nos manarunt.

Solent autem aſtronomi anni tropici quantitatem per æquinoctiorum præſertim obſervationes exquirere, tum quod ad hoc nihil neceſſe ſit eclipticæ obliquitatem, ſed tantum loci latitudinem præноſci, tum quod per æquinoctii tempus diurna Solaris declinationis variatio valde manifeſta ſit, quippe quæ ad minu-

minuta fere 24 exſurgat, ac propterea exigui inter obſervandum errores eam indaginem haud valde turbare poſſint. Accedit quod æquinoctia ætate noſtra prope medias a linea abſidum elongationes incidant, ubi cum æquatio Solis ex apogæi motu plurimis annis perparum mutetur, fit ut linea veri motus pari fere tempore ac linea motus medii converſionem ſuam abſolvat, ac annus tropicus verus anno tropico medio (cujus præſertim quantitas inveſtiganda eſt) fere ad unguem exæquetur.

Æquinoctiorum porro tempora qua ratione ex obſervationibus eruantur vulgo eſt notiſſimum. In ſingula enim minuta declinationis meridie inventæ, quum Sol unum vel alterum circiter diem ab æquinoctio diſtat, hora una tribuitur, in ſingula vero ſecunda minutum unum, atque ita tempus conflatur quo æquinoctium ante vel poſt meridiem illum commiſſum eſt. Accuratius tamen tempus elicitur ſi ubi de verno æquinoctio agatur minutis 23. 41, aut ubi de autumnali minutis 23.28 horæ 24 tribuantur, atque ex ea proportione computus ineatur, tantum enim ævo noſtro declinationes prope æquinoctiorum articulos dietim variari multorum annorum experimenta evincunt.

Hoc igitur pacto æquinoctia cum verna tum autumnalia omnia, quotquot ex hiſce Bononienſibus obſervationibus a gnomone conſtructo in hunc diem deduci poterant, computavi, eorumque ſeriem hic ſubjeci; qua in re eas ut plurimum obſervationes ſelegi quarum tempora quamminimum ab æquinoctio diſtabant, nihil moratus ſi aliorum dierum proximorum numeri æquinoctii momentum nonnihil diverſum exhiberent. Advertendum eſt autem me in ſingulis æquinoctiis indagandis eas aſſumpſiſſe poli altitudines quæ ab ejuſdem vel a proximorum annorum obſervationibus ſolſtitialibus eruebantur, quas altitudines ante tradidi capite 15; niſi quod poſt annum 1700 cum parum quiddam diſcriminis in eo eſſet, piguit me ſingulis annis altitudinem aliam ponere, ac ſatius duxi mediam eligere gr. 44. 29. 35.

Ad hæc cum inſtrumenti examen anno 1722 habitum diſtantias omnes a vertice circa æquinoctia (nempe in locis centeſimarum 97 & 99 perpendiculi) ſecundis præterpropter 15 ob vitiatum lineæ libramentum augendas oſtenderet, nec vero liqueret quo tempore id vitii inſtrumento accidiſſet, ac mihi veroſimile fieret non id repente ſed paulatim obrepſiſſe, correctionem nonniſi poſt annum 1715 adhibendam ſum arbitratus, eandemque ad poſtremos hoſce annos retinui, quod ejus vel omittendæ, vel immutandæ nulla eſſet cauſa.

Ubicumque autem duo aut plura ſibi proxime ſuccedentia æquinoctia occurrerent, temporis intervallum quod inter ea intercederet adſcripſi. Sunt autem tempora hæc omnia apparentia, ſeu vera, quæ facile in media converti poſſunt.

Altit. poli in ſingulis æquinoctiis ad calculos aſſumpta G	I	II	*Æquinoctiorum tempora*		H	I	*Æquinoctiorū proximorum intervalla.* D	H	I
44	29	22	1655	22 Sept.	17	11	178	18	20
			1656	19 Mar.	11	31	186	11	42
			1656	21 Sept.	23	13	178	17	31
44	29	20	1657	19 Mar.	16	44			
44	29	18	1658	19 Mar.	23	44			
44	29	14	1666	19 Mar.	21	16	186	12	54
			1666	22 Sept.	10	10			
44	29	12	1668	21 Sept.	21	32	178	17	7
			1669	19 Mar.	14	39			
44	29	11	1670	19 Mar.	20	50	186	12	1
			1670	22 Sept.	8	51			
44	29	11	1672	19 Mar.	8	11	186	12	18
			1672	21 Sept.	20	29			
44	29	11	1674	19 Mar.	19	35			
44	29	11	1676	19 Mar.	7	15			
44	29	11	1679	20 Mar.	1	15			
44	29	46	1690	22 Sept.	4	44			
44	29	41	1695	19 Mar.	21	58	186	11	57
			1695	22 Sept.	9	55	178	17	48
44	29	40	1696	19 Mar.	3	43	186	12	11
			1696	21 Sept.	15	54			
44	29	39	1697	21 Sept.	21	41	178	17	37
44	29	39	1698	19 Mar.	15	18	186	12	24
			1698	22 Sept.	3	42	178	17	23
44	29	37	1699	19 Mar.	21	5	186	12	21
			1699	22 Sept.	9	26	178	17	46
44	29	35	1700	20 Mar.	3	12	186	12	1
			1700	22 Sept.	15	13	178	17	22
			1701	20 Mar.	8	35	186	12	35
			1701	22 Sept.	21	10	178	17	38
			1702	20 Mar.	14	48	186	11	55
			1702	23 Sept.	2	43	178	17	49
			1703	20 Mar.	20	32	186	11	58
			1703	23 Sept.	8	30	178	17	54
			1704	20 Mar.	2	24	186	12	24
			1704	22 Sept.	14	48			
			1705	22 Sept.	20	32	178	17	15
			1706	20 Mar.	13	47	186	12	28
			1706	23 Sept.	2	15			
			1707	23 Sept.	7	50			
			1708	22 Sept.	13	44			
			1710	20 Mar.	13	0			
			1711	23 Sept.	7	14	178	17	9
			1712	20 Mar.	0	23			
			1714	23 Sept.	0	37			
			1715	23 Sept.	6	33			

Deinceps obſervationibus correctionem ante memoratam adhibui, altitudinem autem poli retinui gr. 44. 29. 35

		H	I	D	H	I
1719	23 Sept.	5	47			
1722	22 Sept.	17	17	178	17	47
1722	20 Mar.	11	4	186	12	8
1722	22 Sept.	23	12	178	17	41
1723	20 Mar.	16	53	185	12	3
1723	23 Sept.	4	56	178	17	42
1724	19 Mar.	22	38	186	12	0
1724	22 Sept.	10	38	178	17	38
1725	20 Mar.	4	16			
1726	20 Mar.	10	9	186	12	13
1726	22 Sept.	22	22	178	17	43
1727	20 Mar.	16	5	186	12	2
1727	23 Sept.	4	7	178	17	32
1728	19 Mar.	21	39	186	11	54
1728	22 Sept.	9	33			
1730	22 Sept.	21	25	178	17	47
1731	20 Mar.	15	12	186	12	11
1731	23 Sept.	3	23	178	17	46
1732	19 Mar.	21	9	186	12	4
1732	22 Sept.	9	13			
1733	22 Sept.	15	5	178	17	49
1734	20 Mar.	8	54	186	12	4
1734	22 Sept.	20	58			

Qui

Qui diligenter hanc ſeriem perpenderit haud difficulter certiores obſervationes a minus certis diſtinguet, nec ſine earum delectu inveſtigationem anni tropici aggredietur; cui rei adſcripta æquinoctiorum intervalla uſui in primis eſſe poſſunt. Ubi enim æquinoctia tria continentia, ac propterea intervalla duo notata ſunt, ſi intervallorum ſumma ab anni tropici quantitate utcumque nota dierum præterpropter 365 horarum 5. 49 pluſculis minutis diſſideat, in aliquo eorum æquinoctiorum vitium prodit, in eo præſertim cujus a proximo intervallum magis ab ea temporis menſura diſſidet, quam menſuram frequentius in ſerie recurrere apparet, id quod etiam fallaciam indicare poteſt ubi duo tantum æquinoctia ſibi ſuccedant, & unicum intervallum occurrat. Intervallum enim tam ab autumnali æquinoctio ad vernum dierum 178 & horarum amplius 17, quam a verno ad autumnale dierum 186, horarum fere 12 toto horum octoginta annorum decurſu ſatis ſibi conſtare debet, niſi quod illud ex anno 1656 ad 1732 tertiam circiter vel quartam horæ partem adauctum, hoc vero tantumdem contractum aſtronomicæ rationes poſtulant. Sed & in iis æquinoctiis quæ in hac ſerie ſolitaria ſunt errores deprehendere licet ſi cum aliis cognominibus æquinoctiis uno aut pluribus quadrienniis inde diſſitis conferantur, quod æquinoctia in anno Juliano quadriennio quolibet minutis 43 aut 44 antevertere ſatis ſit exploratum. Mihi quidem quæ primis annis a gnomonis conſtructione obſervata fuerant non tam exquiſite ſibi reſpondere videntur, quam quæ ſtatim a reſtauratione definita ſunt, neſcio an ex illa polorum inconſtantia quæ major illo tempore quam hoc eſt inventa; neque tamen melius inter ſe ſe conſentiebant ubi altitudinem poli perpetuo eandem aſſumerem. Præclare tamen definitum videtur autumnale æquinoctium anni 1672 die 21 Septembris hora 20. 29, quod Richerio obſervante in Cayenna commiſſum eſt hora 16. 10, nempe Bononiæ hora 20. 31. Sed & intervallum inter utrumque ejus anni æquinoctium ex Bononienſibus obſervationibus, dierum ſcilicet 186. 12. 18 in Richerianas obſervationes fere quadrat, e quibus intervallum illud eſſe oportuit dierum 186. 12. 21.

Poſtremis vero hiſce annis quibus correctionem illam a depravato libramento obſervationibus adhibui, æquinoctiorum intervalla recte, atque ordine procedunt, quantum ſcilicet obſervandi difficultates permittunt, non enim in hoc obſervationum genere perpetuo expectandum ut tempora infra decimam, aut duodecimam horæ partem certiſſime determinentur.

Jam ergo ut experiamur quam ſubtiliter ab hiſce æquinoctiis anni quantitas conſtitui poſſit, duo ſeligemus eadem tempeſtate obſervata, ac maximo quam fieri poſſit periodorum quadriennalium numero inter ſe diſtantia, nempe autumnalia duo annorum 1656 & 1732, hæc enim & annis 76 (quæ Callipica eſt periodus) nempe quadrienniis 19 diſtant, & in primis ſatis accurate definita videntur, ſive eorum a proximis intervalla ſpectemus, ſive ipſa cum aliis cognominibus conferamus. Commiſſum eſt igitur autumnale æquinoctium anni 1656 die 21 Septembris Gregoriani, ſive die 11 Juliani hora 23. 13, anni autem 1732 die 22 Septembris Gregoriani, hoc eſt Juliani rurſum die 11 hora 9. 13; annis itaque 76 Julianis æquinoctii anteceſſio fuit horarum ipſarum 14, quæ in annos 76 tributæ ſingulos annos tropicos a Julianis deficere oſtendunt

 min.

min. 11. ſec. 3, atque hæc ſcrupula ex anno Juliano dierum 365 hor. 6 ſubducta anni tropici longitudinem produnt dierum 365 hor. 5. 48. 57. Sed ſi pro veris æquinoctiis mediorum rationem habeamus, præceſſio illa horarum 14 contrahenda erit minutis præterpropter 9, quibus in annos ſingulos competunt ſecunda 7, ac tantumdem augendus annus modo inventus, ut fiat dierum 365 hor. 5. 49. 4.

Hic autem anni vertentis modus ſecundis haud amplius 8 ab eo diſcrepat quem Caſſinus in commentariis regiæ Pariſienſis academiæ anni 1703 elicuit, dierum 365 hor. 5. 49. 12, collato ſcilicet ejus anni æquinoctio, quod ipſe Pariſiis notavit die 20 Martii hora 20, cum eo quod Hipparcus ante annos 1848 Alexandriæ definiverat. Idem anni 1703 æquinoctium hoc gnomone determinavimus (uti in ſerie notatum eſt) hora 20. 32, quod Pariſienſi obſervationi, ſi meridianorum differentia attendatur, ad unguem fere conſentit, annique menſuram ex Hipparchæo æquinoctio deductam ad ſenſum eandem reſtituit. Apparet ergo, etſi nondum ulla ex hiſce Bononienſibus obſervationibus annorum 80 ætatem excedit, haud multum abeſſe quominus paria cum illis faciat quas a veteribus accepimus; neque dubitandum fore ut qui uno vel altero ad ſummum ab hinc ſæculo eidem indagini vacaverint, ad rem hanc ſubtiliſſime explicandam antiquorum æquinoctia non valde requirant.

Caput XIX.

De ſolſtitiis obſervandis atque anni tropici modo iterum exinde perveſtigando.

Anni vertentis menſuram non æquinoctiorum modo, ſed & ſolſtitiorum ope inveſtigari poſſe in ſpem nos adduxit recentiorum aſtronomorum ſolertia, poſtquam ſolſtitiorum ipſorum articulis ſat accurate comprehendendis rationes excogitatæ ſunt, quam rem minime in poteſtate eſſe veteres opinabantur. Ex omnibus autem methodis quæ ad ſolſtitia invenienda circumferuntur illa ſubtilitate præſtare videtur quam Hiræus indicaverat, ejuſque exempla in commentariis Pariſienſis academiæ annorum 1714 & 1715 a viro nobiliſſimo Malezievio allata extant; ſi nempe tempora duo obſervando inveſtigentur, alterum ante ſolſtitium, a ſolſtitio alterum, quibus temporibus centrum Solis in eodem circulo æquatori parallelo verſetur. Ubi enim hæc nota fuerint ad utrumque illud tempus æquatio Solis e tabulis aſtronomicis ſelectioribus ſupputanda erit, indeque tempora alia duo eruenda, quibus linea medii motus Solis eaſdem illas poſitiones duas aſſecuta fuerit, quas linea motus veri in utraque obſervatione obtinuerat; ita fiet ut momentum quod horum temporum intervallum bifariam dividit in ipſum ſolſtitium medium incidat; quare cum ex iiſdem tabulis medii verique ſolſtitii intervallum ex æquatione ſolſtitiali notum eſſe poſſit, veri quoque ſolſtitii momentum patefiet. Sed hoc ipſum Maraldi epilogiſmo expeditius obtinebitur, ſi utriuſque æquationis

tionis, quæ obſervationum duarum temporibus competit ſemidifferentia ab æquatione ſolſtitiali ſubducatur, ac tempus reſiduo reſpondens quum de ſolſtitio æſtivo quæſtio eſt, tempori quod inter obſervationes duas mediat detrahatur, cum de hyberno addatur.

Veluti ſi inveniendum proponatur ſolſtitium hyemale anni 1733, extat eo anno ante ſolſtitii tempus, die videlicet 16 Octobris, meridiana obſervatio a celeberrimo Celſio hoc gnomone habita diſtantiæ Solis a vertice gr. 53. 28. 42, poſt ſolſtitium vero, die ſcilicet 25 Februarii 1734 eodem obſervante diſtantia illa inventa eſt nonnihilo major nempe gr. 53. 33. 28, ſed die 26 jam minor, ſcilicet gr. 53. 10. 59; propterea manifeſtum eſt reditum Solis ad eundem parallelum quem die 16 Octobris meridie occupaverat incidere inter meridiem utrumque dierum 25 & 26 Februarii, ſubductiſque rationibus ex diurna diſtantiæ mutatione, quam fuiſſe apparet min. 22. 29 prodit hora 5. 5 poſt meridiem diei 25, qua hora Sol eandem illam declinationem eſt aſſequutus. Intervallum ergo temporis fuit dierum 132 horarum 5, min. 5, ejuſque intervalli medium incidit in diem 21 Decembris hora 2. 32. Jam e Caſſini tabulis meridie d. 16 Octobris æquatio Solis fuerat gr. 1. 52. 22, die vero 25 Februarii hora 5. 5 fuit gr. 1. 39. 14, quarum æquationum ſemidifferentia min. 6. 34. Veri ſolſtitii tempus exhibent eædem tabulæ die 21 Decembris hor. 6. 13, eoque momento æquationem Solis ſtatuunt min. 16. 1, ex qua deducta ſemidifferentia illa min. 6. 34, reliqua fiunt min. 9. 27, quæ quidem linea medii motus conficit horis 3. 50. Hoc ergo tempus ex die 21 Decembris hora 2. 32 deinceps numeratum verum ſolſtitii momentum oſtendit eodem die hora 6. 22.

Perutile eſt autem atque adeo neceſſarium Solſtitii tempus ex duarum obſervationum conjugatione hoc pacto inventum e ſimilibus aliis conjugationibus perſcrutari quo de eo certius liqueat. Ita in hoc quod indagandum ſumſi decem obſervationum ſibi reſpondentium paria nactus ſum, e quibus ſolſtitii horam elicui ut hic vides.

1733. 16 Octob. meridie, &	1734. 25 Febr. h. 5. 5; inde Solſtitium 21 Dec.	h. 6. 22
21 Octob. meridie	20 Febr. h. 6. 1	h. 6. 20
22 Octob. meridie	19 Febr. h. 6. 13	h. 6. 20
29 Octob. meridie	12 Febr. h. 7. 28	h. 6. 20
10 Nov. meridie	31 Jan. h. 9. 42	h. 6. 27
11 Nov. meridie	30 Jan. h. 9. 29	h. 6. 16
12 Nov. meridie	29 Jan. h. 9. 50	h. 6. 22
14 Nov. meridie	27 Jan. h. 9. 59	h. 6. 13
15 Nov. meridie	26 Jan. h. 10. 4	h. 6. 15
27 Nov. h. 11. 58	14 Jan. meridie	h. 6. 32

ac propterea ſi ex hiſce decem determinationibus media eligatur, tempus Solſtitii accuratius conſtitutum erit die 21 Decembris hora 6. 20.

Ceterum cum inter primas a gnomone conſtructo obſervationes ſolſtitium quærerem quod cum iis quæ recenter obſervata ſunt componerem, ac inde annum tropicum ſupputarem, nullum occurrit aliud cui accurate definiendo ſat obſervationum ſuppeteret quam quod hyeme anni 1656 commiſſum eſt. Ad ejus tempus ſcrutandum tria hæc obſervationum paria reperi.

1656.26 Oct.h.23.13, & 1657.13 Feb.meridie; unde Solſtitium 20 Dec.h.13.40
11 Nov.h.1. 5 29 Jan.meridie h.13.44
27 Nov.h.1.56 13 Jan.meridie h.13.24
quale ſolſtitii tempus ſtatui poſſe videtur die 20 Decembris hor. 13. 36.

Jam ergo ſi hoc ſolſtitium cum eo componatur quod nuper hyeme anni 1733 definivimus, nonnihil operoſior erit calculus, quod quadriennales periodi tempus hiſce ſolſtitiis duobus interjectum non metiantur. Ex anno igitur 1656 die 20 Decembris Gregoriani, ſive 10 Juliani hor. 13. 36, ad annum 1733 die 21 Decembris Gregoriani, nempe iterum Juliani 10 hor. 6. 20, dies numerantur omnino 28123 horæ 16. 44, quæ ſi in minuta horaria reſolvantur fiunt min. 40498080, atque hoc temporis intervallo anni ipſi tropici 77 expleti ſunt. Subductis rationibus anno cuilibet tropico obtingunt dies 365 hor. 5. 49. 5 ſi veros motus ſpectemus. Sed cum anno 1656 æquatio ſolſtitialis hyberna ex tabulis Caſſinianis fuiſſet min. 13. 23, atque idcirco ſolſtitium verum medio ſuccederet horis 5. 26, anno autem 1733 æquatio fuerit min. 16. 1, ac propterea verum ſolſtitium poſt medium contigerit horis 6. 30, contrahendum eſt intervallum hora 1 min. 4, & anni quantitas ſecundis fere 50 minuenda, ut fiat dierum 365 hor. 5. 48. 15.

Animadvertendum eſt autem ad anni tropici medii inveſtigationem æquinoctia ſolſtitiis in eo præſtare quod apſidum motus, ſine quo neque æquationes inveniri neque adeo medii, ac veri anni differentia taxari poteſt, niſi ſubtiliſſime ſit exploratus longe majora in ſolſtitiis quam in æquinoctiis diſcrimina efficiat. Qua porro ratione motus ille ex ipſis hiſce obſervationibus inveſtigari poſſit, explanandum reſtat; ſed antea de ipſorum ſolſtitiorum temporibus nova quadam, ac ni fallor certiori methodo inveniendis, quin etiam de longitudine Solis toto anno accuratius cognoſcenda nonnulla mihi dicenda ſunt.

Caput XX.

Nova methodus longitudini Solis in ſingulos dies definiendæ, ut neque refractionum ratio habenda ſit, neque loci latitudo, neque obliquitas eclipticæ neque ulli ex aſtronomorum hypoteſibus numeri aſſumi debeant.

QUæcumque de uſu harum obſervationum in exquirendis Solis motibus hactenus diximus, atque exemplis illuſtravimus ſatis ni fallor inſtrumenti præſtantiam declarant. Sunt tamen in hac re quidam certitudinis limites quos vel perfectiſſimis inſtrumentis tranſgredi ars ipſa non ſinit, niſi forte obſervationibus altitudinum aut diſtantiarum a vertice aliæ adjungantur. Non enim æque certo ac ſubtiliter (quod ſæpe notavimus) verus Solis locus in ecliptica ex meridianis diſtantiis a vertice dignoſci poteſt atque ipſæ diſtantiæ determinantur, in quibus ſecundorum ut plurimum quinque interdum etiam bi-

norum

norum aut ſingulorum dubietatem facile vitamus, cum in illo de uno ſaltem vel altero ſcrupulo primo ſæpe etiam de tribus aut quatuor, eoque amplius ambigi neceſſe ſit. Nimirum ut longitudinem Solis eruas ex ejus declinatione computum ineas oportet, quæ certa eſſe nequit niſi primum diſtantia a vertice a refractionibus liberetur; refractiones vero ad ipſa ſecunda ſcrupula conſtitutas eſſe, nec minimum interdum mutari nemo facile dixerit; deinde altitudo poli eſt prænoſcenda, quæ ipſa & refractionibus iterum involvitur, & ob ejus inconſtantiam novis ac majoribus difficultatibus rem impedit. Poſtquam declinatio utcumque innotuit ſi obſervatio prope æquinoctia incidat ubi quam minimum in longitudine ſupputanda errari poteſt, tamen erratum ſemiſſis minuti ſeſquiminuto fere longitudinem vitiat; ſin autem longius ab æquinoctiis tum vero & quo magis ab his receditur errores magis exſcreſcunt & altera inſuper exiſtit errandi cauſa ab inordinata necdum ſatis comperta eclipticæ trepidatione profecta, ex quo rurſum tantumdem atque ex declinationis incertitudine falli potes.

Una ſupereſſe videtur ſolſtitiorum determinatio quæ ſi ea methodo ineatur quam ſuperiori capite expoſuimus hiſce difficultatibus non laborat; non enim in ejuſmodi ſupputationibus aut refractiones, aut altitudinem poli, aut eclipticæ inclinationem moramur, quinimo ne inſtrumenti quidem conſtitutio, ſi illud forte minus recte habuerit, quicquam turbat, ut propterea haud immerito recentiores aſtronomi plus uni ejuſcemodi determinationi quam ſexcentis extra ſolſtitia fidendum exiſtiment. Verum, ut omittam non maximo operæ pretio duobus denique toto anno diebus Solis locum definiri, reliquis vero omnibus nihil exquiſite ſtatui, illud non injuria argui poſſe videtur quod ad ſolſtitia eo pacto invenienda æquationes Solis ex aſtronomorum tabulis aſſumi debeant; cum enim tabulæ ipſæ ab obſervationibus vel condendæ vel emendandæ ſint, minus recte neque ordine fieri videtur ſi obſervationes abſque tabulis uſui eſſe nequeant. Ac ſane haud ſemel expertus ſum ubi e duabus iiſdem obſervationibus ejuſdem ſolſtitii tempus exquirerem, haud parum diverſum prodire ſi æquationes e diverſis tabulis depromerem. Veluti cum ſolſtitium æſtivum anni 1734 indagarem ex obſervatione Solis diei 16 Aprilis meridie cui reſpondere inveneram diem 26 Auguſti hora 23. 22, Caſſinianæ æquationes ſolſtitium in diem 21 Junii hora 7. 48, Hireanæ vero in eundem diem hora 7. 37 conjiciebant; ac rurſum ex obſervatione diei 8 Aprilis meridie, & diei 4 Septembris hora 1. 1 Caſſini hypoteſes exhibebant ſolſtitium hora 7. 48, Hiræi vero 7. 32. Ac tametſi exiſtimo minus diſſidii reperiendum fuiſſe ubi dierum Solſtitio propiorum obſervationibus uſus eſſem, tamen perpendendum eſt quo propius ad ſolſtitium acceditur eo difficiliorem fieri temporum duorum ſibi reſpondentium inventionem, quibus nempe temporibus Sol eundem parallelum attingat, quod diurna ejus altitudinis variatio perpetuo minor fiat; ut propterea in hac methodo alterum e duobus vix effugere liceat nimirum ut vel tabulis, vel obſervationibus ipſis plus æquo tribuamus.

Cum hæc mecum ipſe reputarem animadverti difficultates omnes quæ hanc indaginem impediunt declinari poſſe ſi obſervationibus hoc gnomone peractis aliæ adjungantur quibus & Solis & inerrantium ſtellarum exſcurſus per meridia-

dianum horologio oſcillatorio determinentur. Methodum ergo tradam qua & ſolſtitia & ceteræ omnes Solis longitudines accuratiſſime inveniantur, ita quidem ut neque refractiones neque poli elevationem neque eclipticæ obliquitatem (niſi hanc præterpropter) prænoſci, neque vero fixarum ſtellarum poſitiones, neque numerum ullum ex aſtronomorum tabulis aſſumi oporteat, quinimo ut ſtellarum ipſarum aſcenſiones eadem opera inveniantur.

Locum Solis in meridiano quam ſæpiſſime potes cum ante ſolſtitia, tum iis elapſis obſervato permagno ac immoto inſtrumento, cujuſmodi Bononienſi huic par haud facile reperies; indeque temporum binorum conjugationes quotlibet elicito, quibus temporibus centrum Solis unum aliquem eundem circulum æquatori parallelum pertranſierit, quemadmodum ſuperiori capite dictum. Iiſdem diebus tranſitum per meridianum tum centri Solis tum ſtellæ inſignis quæ toto anno perdiu videri poſſit ex horologio oſcillatorio definito, idemque per dies ipſos ſolſtitiales præſtato, ac ſubinde diſtantiam temporariam Solis a ſtella ad ſingulorum dierum meridiem ſupputato, eamque diſtantiam, horologio ad eandem ſtellam dietim expenſo, in tempus medium redigito. Eſto jam in ſuprema ſphæra æquinoctialis circulus ACL (*Figura 6*) ejus poli P, R, eclipticæ ſemicirculus uterlibet ASL, ac in eo ſolſtitiale punctum S per quod tranſeat colurus ſolſtitiorum PSR, circulus vero æquatori parallelus in quo obſervationum duarum reſpondentium tempora definita ſunt DGE, eclipticam ſecans in D ubi prima obſervatio habita fuerit, atque in E ubi altera, colurum vero ſolſtitiorum in G. Denique eſto punctum F locus ſtellæ, cujus exſcurſus per meridianum dietim obſervatur, ac per F tranſeat circulus declinationis ſtellæ PFR, parallelum EGD ſecans in H. Manifeſtum eſt igitur, etſi momentum ſolſtitii ob inæqualem Solis motum in ipſum medium temporis inter obſervationes duas in D & E interjecti non incidit, attamen arcum paralleli DE a coluro ſolſtitiorum PCR bifariam dividi in G, ac propterea aſcenſionem rectam ſolſtitialem inter aſcenſiones duas rectas quas Sol in D, atque in E habuit eſſe exquiſite mediam. Quoniam ergo dantur ad ſingulos dies ex obſervationibus temporariæ diſtantiæ centri Solis ac ſtellæ, dabitur ad tempus ipſum obſervationis ante ſolſtitium peractæ in D arcus paralleli DH diſtantiæ illi reſpondens, pariterque arcus HE competens tempori regreſſus Solis poſt ſolſtitium ad parallelum eundem in E; quare & arcus totus DE, & ejus dimidium DG dabitur, quod cum arcu DH, vel HE collatum indicabit arcum HG diſtantiam ſcilicet temporariam quæ ipſo ſolſtitii momento inter Solem S, & ſtellam F interceſſit, quam ſolſtitialem diſtantiam appellabimus. Eapropter cum per ipſos ſolſtitii dies temporaria diſtantia Solis ac ſtellæ meridie ab obſervationibus definita fuerit, dabitur exinde tempus quo hæc diſtantia invento nuper arcui HG æqualis fuit, nempe tempus ipſum quo Sol colurum ſolſtitiorum pertranſiit, ac ſolſtitium in puncto S effecit.

Inventa diſtantia ſolſtitiali Solis ac ſtellæ HG, facile apparet ſi arcus circuli tempori ejus diſtantiæ competens in æſtivo ſolſtitio gradibus 90, in hyberno autem gradibus 270, pro diverſo ſtellæ ad Solem poſitu addatur vel ſubducatur rectam ſtellæ aſcenſionem ad tempus ipſum ſolſtitii exinde conflari. Hac vero comperta perſpicuum eſt ceteris omnibus anni diebus, quibus Solis ſtel-

læque

læque tranſitus obſervati fuerint, rectam aſcenſionem Solis nullo negotio erui, quæ ubi graduum 180 vel 360 inveniatur æquinoctiorum tempora oſtendet, ubi vero Sol extra æquinoctia verſetur, tamen ex aſcenſione recta longitudo erui poterit, modo eclipticæ obliquitas præterpropter nota ſit; non enim ad hoc neceſſe eſt eam exſquiſite definire, quando vel ſolidi minuti diſcrimen ſecundis ut maxime duodecim, haud amplius, longitudines vitiare poteſt.

Methodi hujuſce, in quam non ante ſuperiorem annum 1734 incidi, ſtatim in utroque ſolſtitio ejus anni perſcrutando periculum feci, obſervationes peragentibus ad Divi Petronii partim ornatiſſimo viro Andreæ Celſio, quoad is Bononiæ eſt diverſatus, partim Roverſio; tranſitus vero Solis per meridianam lineam in hoc publico obſervatorio extento filo deſignatam captantibus ut plurimum Marcheſio, necnon Euſtachio Zanotto, interdum me ipſo quum per valetudinem licuit. Elegimus autem ad hanc indaginem ſtellam Sirii, quæ multis de cauſis omnium aptiſſima eſt viſa, iidemque ejus ſtellæ tranſitus obſervarunt per planum muralis ſemicirculi, quod plurimis experimentis compertum habemus in parallelo ſtellæ ſecundis temporariis $13\frac{1}{2}$ a meridiana illa linea in occaſum aberrare, unde ſingulos ſtellæ excurſus ad ipſum meridianum reduximus. En autem in ſynopſi primum ad æſtivi ſolſtitii indaginem conjugationes undecim temporum ſibi reſpondentium recurſus Solis ad eoſdem parallelos, necnon ejus diſtantias temporarias a Sirio tam ante ſolſtitium quam poſt, temporibus mediis expreſſas, ac denique diſtantias ipſas temporarias ſolſtitiales quas e conjugationibus ſingulis ſupputavi.

Conjugationes	1734 *Tempora ante ſolſtitium.*	1734 *Tempora reſpondentia poſt ſolſtitium*	*temp. app. poſt mer.* H I	*Ante ſolſtitium* *Sirius ſequitur Solem temp. med.* H I II	*Poſt ſolſtitium* *Sirius præcedit Solem temp. med.* H I II	*Diſtantiæ temporariæ ſolſtitiales a Sole ad Sirium temp. med.* H I II
1	31 Martii meridie	12 Septembris	3. 4	5. 53. 52	4. 47. 8	0. 33. 22
2	5 Aprilis meridie	7 Septembris	2. 14	5. 35. 44	4. 29. $3\frac{1}{2}$	0. 33. $20\frac{1}{4}$
3	6 Aprilis meridie	6 Septembris	1. 42	5. 32. $5\frac{1}{2}$	4. 23. 28	0. 33. $21\frac{1}{4}$
4	8 Aprilis meridie	4 Septembris	1. 1	5. 24. $49\frac{1}{2}$	4. 18. 6	0. 33. $21\frac{1}{4}$
5	9 Aprilis meridie	3 Septembris	0. 48	5. 21. 11	4. 14. 25	0. 33. 23
6	11 Aprilis meridie	1 Septembris	0. 21	5. 13. $53\frac{1}{2}$	4. 7. 7	0. 33. $23\frac{1}{4}$
7	12 Aprilis meridie	31 Auguſti	0. 9	5. 10. 14	4. 3. 27	0. 33. $23\frac{1}{2}$
8	15 Aprilis meridie	27 Auguſti	23. 28	4. 59. 13	3. 52. 26	0. 33. $23\frac{1}{4}$
9	16 Aprilis meridie	26 Auguſti	23. 22	4. 55. 31	3. 48. 46	0. 33. $22\frac{1}{2}$
10	4 Junii meridie	8 Julii	16. 19	1. 44. $56\frac{1}{2}$	0. 38. 14	0. 33. $21\frac{1}{4}$
11	5 Junii meridie	7 Julii	15. 56	1. 40. 50	0. 34. 4	0. 33. 23

Ex hiſce determinationibus ſolſtitialem diſtantiam eligendam apparet hor. 0. 33

o. 33. 22 quippe inter omnes mediam. Porro tranſitus Solis ac Sirii per meridianum, qui diebus ſolſtitio proximis obſervati ſunt diſtantiam hanc a Sole ad Sirium conveniſſe oſtendunt in diem 21 Junii hora 7. 52 tempore apparenti, quæ propterea eſt ipſa ſolſtitii hora, vix quicquam ab ea diſcrepans quam Maraldi methodo elicui e conjugationibus 1, 4, 7, 9, 10, 11, nempe 21 Junii hora 7. 49.

Huic autem ſolſtitiali diſtantiæ reſpondent circuli partes 8. 21. 52, quæ adjectæ gradibus 90 aſcenſionem rectam Sirii conſtituunt ad exitum Junii 1734 graduum 98. 21. 52.

Ad indagandum vero ſolſtitium hybernum ejuſdem anni 1734 quinque haud amplius nacti ſumus obſervationum paria quæ ſequuntur.

Conjugationes	1734 *Tempora ante Solſtitium.*	1735 *Tempora reſpondentia poſt Solſtitium. temp. app. poſt mer.*	*Ante Solſtitium Sirius præcedit Solem temp. med.*	*Poſt Solſtitium Sirius præcedit Solem temp. med.*	*Diſtantia temporaria ſolſtitiales a Sirio ad Solem temp. med*
		H l	H l ll	H l ll	H l ll
1	12 Novembris meridie	29 Januarii 21. 27	8. 34. 50 $\frac{1}{2}$	14. 14. 25	11. 24. 37 $\frac{3}{4}$
2	13 Novembris meridie	28 Januarii 21. 37	8. 38. 53 $\frac{1}{2}$	14. 10. 20	11. 24. 36 $\frac{1}{2}$
3	14 Novembris meridie	21 Januarii 21. 54	8. 42. 58	14. 6. 17	11. 24. 37 $\frac{1}{2}$
4	28 Novembris meridie	13 Januarii 23. 48	9. 41. 40	13. 7. 34 $\frac{1}{2}$	11. 24. 37 $\frac{1}{4}$
5	29 Novembris meridie	13 Januarii 0. 7	9. 45. 59	13. 3. 22 $\frac{1}{2}$	11. 24. 40 $\frac{3}{4}$

Non adeo certo liquere potuit de hujuſce ſolſtitii tempore atque de eo quod æſtate commiſſum erat, quod diebus ipſis ſolſtitialibus vel Solis vel Sirii conſpectum in meridiano nubes prohibuerint. Attamen electa ſolſtitiali diſtantia omnium media hor. 11. 34. 38 ex obſervationibus dierum 17 & 25 Decembris collegimus Solem eam diſtantiam attigiſſe die 21 hora 12. 11. Maraldi autem methodo ſolſtitium prodit hora 12. 21.

Porro diſtantiæ temporariæ ſolſtitiali hor. 11. 24. 38 competunt gr. 171. 37 37 qui e gr. 270 ſubducti dant aſcenſionem rectam Sirii ſub exitum Decembris anni 1734 gr. 98. 22. 23.

Notandum autem motum illum quo ſtellæ ſingulæ ſenſim progrediuntur, ſive æquinoctialium punctorum præceſſionem, ſolſtitiorum determinationi hac methodo peractæ nihil officere, ac propterea nullam ejus rationem a me in hiſce calculis habitam; perinde eſt enim ſive aſcenſio recta ſtellæ eadem maneat ſive æquabile augmentum perpetuo ſuſcipiat, nam cum temporariæ differentiæ Solis ac ſtellæ in punctis D & E inter ſe ſe comparantur dimidium ejus incrementi in ſolſtitiali diſtantia includitur neque inde ſolſtitii tempus quicquam mutatur, aſcenſio vero ſtellæ quæ inde elicitur ad neutrum tempus D

vel

vel E, ſed ad ipſum ſolſtitii momentum attinet. Diebus vero aliis a ſolſtitio remotioribus plane habenda eſt ratio motus fixarum quo ex aſcenſione ſtellæ Solis aſcenſionem arguere liceat, cujus motus quantitas annua (niſi eam veluti certo ab aſtronomis conſtitutam aſſumere lubeat) ex duorum cognominum ſolſtitiorum aliquot annis diſtantium obſervatione taxari poteſt.

Non ignoro quid ſcrupuli ſuboriri poſſit in hujuſce methodi uſu. Cum enim rectæ ſtellarum aſcenſiones minime pro temporum intervallis æquabiliter augeri deprehenſæ ſint, (qua de re nonnullæ etiam noſtræ obſervationes extant) dubitandum videtur num ea ex cauſa ſolſtitiorum determinatio turbari poſſit. Verum nihil aut exiguum quiddam incommodi metuendum inde crediderim. Stellarum enim evagationes ſecundum aſcenſionem non aliter perſpectæ ſunt quam ex duarum earumdem temporaria differentia, quæ aliis anni diebus alia eſt inventa, paucorum ſane ſecundorum diſcrimine; cujus diſcriminis ſi eam quam æquum eſt partem ſtellarum inter ſe ſe acceſſui aut receſſui (qui ſecundum aſcenſiones aliquis eſſe debet) tribuamus, reſidui vero ſemiſſem aut præterpropter ſingulis illis ſtellis duabus adſcribamus, vix eſt ut ſingularum inæqualitas tota paucula temporis ſecunda excedat, quæ tamen ne tota quidem in hac re attendi debet, obſervationes enim non ſemeſtri ſpatio, ſed minori inter ſe diſſitas ad hanc indaginem ſeligere poſſumus.

Optandum equidem eſt ut de harum aberrationum legibus aſtronomi aliquid conſtituant, cui rei virum egregium Jo: Jacobum Marinonium Cæſareum mathematicum ſedulam navare operam ab ipſo accepi. Mihi, quantum experiri hactenus licuit in ſtellis inter ſe ſe oppoſitis, Sirio præſertim ac Lyra, aut capella & Lyra maximarum evagationum aſcenſionalium termini in ea tempora incidere videntur quibus earum ſtellarum altera meridie, altera media nocte ad meridianum allabitur, ita quidem ut tempus ab ea quæ Soli jungitur ad eam quæ opponitur numeratum tunc ſit maximum, id quod oſtendere videtur ſtellas ſingulas prope conjunctionem aſcenſionalem in occaſum, prope oppoſitionem in ortum aberrare, neque ab hac regula, quam ante annos aliquot ſuboſfeceram, abhorrent obſervationes cum multæ a Marinonio, tum aliquæ a nobis ſuperiore anno peractæ. Quod ſi ita eſt, erroris periculum (ad ſolſtitia quod attinet) evitari, aut certe minui poteſt ubi ſtellam ſeligamus non longe a coluro ſolſtitiorum locatam, id quod præſertim de Sirio ac Lyra percommode accidit, duorum enim aut trium menſium ſpatio ſtellæ aſcenſionem vix quicquam mutari oportet. Alias vero longitudines Solis, cum longius a ſolſtitiis diſtat, etſi errori alicui hac de cauſa obnoxias eſſe non negaverim, tamen longe minus incertas arbitror quam ſi per declinationes inveſtigentur. Sed & minus ab hiſce fallaciis timendum erit ſi pro anni temporum diverſitate ſtellæ aliæ ad hanc indaginem eligantur, quarum aſcenſiones ex prioris ſtellæ aſcenſione eliciantur, quo tempore de illius aberratione nondum ſuſpicio pervaſerit.

Duorum autem aut plurium ſolſtitiorum ſibi continenter ſuccedentium determinationes hac methodo peractæ evagationibus ipſis ſtellarum taxandis non inutiles eſſe poſſunt. Si enim ab æſtivo ſolſtitio ad brumale, vel ab hoc ad illud ſtellæ aſcenſionem rectam plus minuſve adauctam appareat quam ſemeſtris punctorum æquinoctialium præceſſio requirat, quicquid prodit diſcriminis

ſtellæ evagatio eſt. Veluti in ſolſtitiis duobus anni 1734 cum aſcenſio Sirii æſtivo inventa ſit gr. 98. 21. 52, hiberno 98. 22. 23, apparet augmentum ejus ſemeſtri ſpatio fuiſſe ſec. 31 cum tamen eo tempore proprius fixarum motus ſecundum aſcenſiones ſecunda 20 haud amplius ſibi vindicet, reliqua ſunt igitur ſecunda 11 quibus ſtella a Junii ad Decembris exitum ortum verſus eſt evagata; neque ſane erroris hujuſce plaga ab ea lege abhorret, quam ſupra ſtatui, ſed ad ejus quantitatem certius comprehendendam multorum ſolſtitiorum experimenta colligenda videntur.

Caput XXI.

De motu apogæi Solis e ſolſtitiorum obſervationibus eruendo.

NUnc ad motum abſidum Solaris orbitæ revertor, quem motum ex hac ipſa meridiana linea obſervationibus inveſtigari poſſe dixeram. Nec ſane dubium eſt quin id poſſit methodo pervulgata. Si enim apogæi locus anno quopiam ab obſervationibus inveniatur (cujus inveniendi ratio multiplex ab aſtronomis traditur, ac nos etiam nonnulla ea de re mox afferemus) ac rurſum anno alio ſatis inde diſſito idem præſtetur, locorum duorum comparatio apogæi progreſſum annorum intervallo reſpondentem patefaciet. Verum cum perdifficile habeatur in apogæi loco plurium minutorum errorem vitare, vix eſt ut hoc pacto ejus motus ſubtiliter conſtitui queat, niſi tempora pluribus ſæculis diſtantia inter ſe ſe conferantur; quæ ne a poſteris expectanda ſint, aliam quandam rei conficiendæ rationem proponam.

Definiatur quam accurate fieri poteſt uno aliquo anno utriuſque ſolſtitii tempus, ea præſertim ratione quam ſuperiori capite tradidi, in qua nihil prorſus ex aſtronomicis tabulis tanquam notum aſſumitur, idemque fiat poſt annos circiter 100 inde evolutos. Jam ſi ſolſtitialia ſingulorum annorum intervalla invicem comparentur ſatis ſubtiliter explorari poterit quæ inter annos illos duos abſidum progreſſio fuerit. Eſto enim in adjecto ſchemate diameter eclipticæ, quæ ad puncta ſolſtitialia dirigitur, AB (*Figura* 7) cujus extremum A ad initium Cancri, B ad Capricorni pertineat, ſignorumque ordo ex B per K ad A procedat. Eclipticæ ac telluris centum eſto C, per quod acta ſit abſidum Solaris orbitæ linea EO, cujus extremum O apogæum eſt, extremum E perigæum. Cum ergo ævo noſtro illud circiter octavum gradum Cancri, hoc vero circiter octavum Capricorni verſetur, propptereaque punctum æſtivi ſolſtitii A ad poſtremum anomaliæ quadrantem ſpectet, ubi æquationes medio motui adjiciuntur ut verus conſletur, manifeſtum eſt: quoties linea motus veri ad poſitum ſolſtitialem CA revertitur lineam motus medii ſecundum longitudinem minus promotam fore quam CA, contra atque hiberno ſolſtitio, quippe quod in quadrantem anomaliæ ſecundum incidit, ubi æquationes a medio motu ſubducuntur. Momento igitur ſolſtitii æſtivi priore anno obſervati eſto linea motus medii in CH, momento autem hiberni ejuſdem anni in CD. Deinde

de elapſo eo annorum intervallo ex quo ſolſtitiorum obſervationes repetitæ ſunt, cum linea apſidum EO ad aliquid ſpatii ſecundum ſignorum ſeriem progreſſa fuerit, neceſſe eſt majores fieri angulos OCA, ECB quos angulos linea mobilis OE cum immota ſolſtitiorum diametro BA continet; quapropter utraque æquatio ſolſtitialis major evadet, ac linea medii motus in ſolſtitio æſtivo adhuc minus promota erit, veluti in CG, in hiberno autem magis promota ut in FC. Angulus igitur DCH qui priore anno intervallum temporis a ſolſtitio hyemali B ad æſtivum A metiebatur, contractus erit in FCG, ac propterea tanto minus temporis inter ea ſolſtitia intercedet quantum ſumma angulorum DCF, GCH poſtulat, tanto vero plus ab æſtivo ad hibernum numerabitur.

Aſſumpta igitur certa aliqua menſura annua motus apogæi, ſupputa ejus motus quantitatem quæ annorum intervallo competit, ac ſubinde quære in tabulis aſtronomicis circiter eos gradus anomaliæ, qui gradus ſolſtitialibus punctis A, & B reſpondent, quanto utraque æquatio Solaris BCD, ACH augeatur, ubi anomalia ea quantitate motus augetur; ita enim angulos DCF, HCG conflabis, ac ſubinde tempus eorum angulorum ſummæ, pro horario motu Solis medio, congruens ſupputabis. Tum vero ut hoc tempus ad decrementum intervalli quod a ſolſtitio hiberno ad æſtivum priore, ac poſteriore anno interceſſit, (vel ad incrementum ab æſtivo ad hibernum) ita erit aſſumpta motus annui apogæi quantitas ad verum ejus motus quantitatem. Etſi vero neque ſolſtitiorum binorum ac binorum obſervationes adeo diſſitæ extant in hac ſerie quam tradimus, nec præter duo anni 1734 alia ſunt ulla quæ per ſtellarum obſervationes ſcrutatus fuerim, duo tamen omnium quæ utraque eodem anno extent antiquiſſima, Maraldi methodo ſupputata, cum poſtremis hiſce duobus conferam, ut methodum exemplo aliquo explanem.

Solſtitium igitur æſtivum anni *1695* conjugationibus quinque obſervationum reditus Solis ad eoſdem circulos parallelos definivi die 20 Junii hora 21 38, hibernum vero conjugationibus ſimilibus ſex determinavi die 21 Decembris hor. 0. 52. Fuit ergo intervallum ab æſtivo ad hibernum dierum 183 hor. 3. 14. Anno autem 1734 ante invenimus conjugationibus undecim ejuſcemodi obſervationum, adjunctis temporariis diſtantiis Solis a Sirio, incidiſſe ſolſtitium æſtivum in diem 21 Junii hora 7. 52, hibernum vero conjugationibus quinque una cum temporariis totidem diſtantiis, in diem 21 Decembris hora 12. 11; ac propterea intervallum ab æſtivo ad hibernum prodit dierum 183 hor. 4. 19. Ejus ergo intervalli augmentum ab anno *1695* ad 1734 fuiſſe apparet horæ unius, minutorum quinque, idque ſpatio annorum *39*. Jam ſi motus annuus apogæi ſumatur ſecundorum *60*, annis *39* competent utique minuta *39*. Porro in tabula Caſſiniana æquationum Solis ubi anomalia fuerit ſignorum 11 grad. 22, quæ eſt præterpropter æſtivo ſolſtitio, mutatio anomaliæ minutorum *39* æquationem mutat minutis 1. 18; ubi vero anomalia ſit ſignorum 5. 22 (quæ hiberno) augmento anomaliæ minutorum *39* reſpondet æquationis incrementum minutorum 1. 20. Augmenti igitur utriuſque, nempe angulorum HCG, DCF ſumma eſt minutorum 2. 38, quæ Sol medio motu emetitur hora 1. min. 4, ac tantumdem auctum fuiſſe oportuit ſolſtitiale interval-

lum ab æſtate ad brumam ex anno 1695 ad annum 1734, ſi annuus apogæi motus ſit ſecundorum 60, quantum eum poſuimus. Cum ergo ex intervallis obſervatis augmentum fuerit hor. 1.5 erit ut hor. 1.4 ad hor. 1.5 ita aſſumptus ille motus ſec. 60 ad verum apogæi motum annuum, ſecundorum ſcilicet plus minus 61; nec valde diverſus motus in hoc exemplo elicitur ſi ex Hiræanis aut Neutonianis tabulis æqnationes petantur.

Spatium porro annorum plus minus centum ſatis eſſe videtur quo motus apogæi annuus intra duorum præterpropter ſecundorum fines cetto comprehendatur, ſi modo ſolſtitia quatuor eligantur, quorum binorum intervalla ſingula minus ſcrupulis quatuor horariis, & intervallorum differentia minus octo a vero abſcedat; errori enim minutorum octo annis centum errorem ſecundorum plus minus duorum in apogæi motu annuo reſpondere comperi.

Porro ſolſtitia tam exquiſite ab hiſce obſervationibus definiri poſſe, ut proximorum duorum intervalla minutis octo non fallant, experimento eorum ipſorum quæ memoravimus liquere poteſt, ſi ea cum proximis aliis quæ itidem ſupputavi conferantur.

			hor. min.
Fuit enim ſolſtitium æſtivum anni 1695	Junii	20	21. 38
Hibernum vero ejuſdem anni	Decembris	21	0. 52
Intervallum eſt	d.	183	3. 14
iterum hibernum anni 1695	Decembr.	21	0. 52
æſtivum vero 1696 elicitur ex obſervationibus ſeriei quam tradimus	Junii	20	3. 30
intervallum	d.	182	2. 38
quod priori intervallo adjectum	d.	183	3. 14
conſtituit	d.	365	5. 52
Eſt vero anni tropici medii quantitas ſatis explorata	d.	365	5. 49
quam menſuram ſumma intervallorum excedit			3
debuit autem ab ea deficere ob apogæi motum annuum, circiter			1
igitur intervallorum ſumma a vero abſcedit minutis haud amplius			4
Similiter hibernum ſolſtitium anni 1733 inventum eſt	Dec.	21	6. 20
æſtivum vero 1734	Junii	21	7. 52
Intervallum igitur fuit	d.	182	1. 32
iterum æſtivum 1734	Junii	21	7. 52
hibernum 1734	Decemb.	21	12. 11
intervallum	d.	183	4. 19
hoc vero priori intervallo additum	d.	182	1. 32

con-

			hor.	min.
conficit ſummam	d.	365	5.	51
annus tropicus medius	d.	365	5.	49
quem inventa intervallorum ſumma excedit				2
cum tamen eam excedere debuerit, ob apogæi motum, tantumodo				1
error igitur ſummæ intervallorum haud amplius				1
Denique intervallum ab æſtivo ad hibernum 1695	d.	183	3.	14
collatum cum intervallo ab æſtivo ad hibernum 1734	d.	183	4.	19
incrementum exhibet			1.	5
intervallum vero ab hiberno 1695 ad æſtivum 1696	d.	182	2.	38
collatum cum intervallo ab hiberno 1733 ad æſtivum 1734	d.	182	1.	32
decrementum oſtendit			1.	6
quod priori incremento conſentit intra				1

id quod intervalla ſingula recte habere evincit, eſto ſolſtitiorum ipſorum abſoluta tempora non comprobet, cum fieri poſſit ut terna priora, quibus computandis æquationes e tabulis aſtronomicis peti oportuit, paribus diſſidiis a vero aberrent. Si vero ſingula ea ratione determinentur, quam ſuperiori capite expoſui, nil opus erit quicquam e tabulis aſtronomorum aſſumi.

CAPUT XXII.

De loco ipſo apogæi Solis inveſtigando.

MUlta quidem ad apogæi Solaris locum in ecliptica determinandum artificia ab aſtronomis excogitata accepimus, quorum præcipua retulit, ac exemplis illuſtravit Jacobus Caſſinus, egregia diſſertatione de hoc argumento edita in commentariis regiæ academiæ Pariſienſis anni 1723. Inter ea illud præſtare videtur quod ipſe adinvenit, ac in eo poſitum eſt ut arcus duo eclipticæ æquales ab obſervationibus definiantur, quos arcus Sol pari temporis intervallo peragraverit; lineam etenim apſidum inter eorum arcuum terminos medio loco ſitam eſſe oportet, quacumque demum lege Solarem motum exerceri, ejuſque inæqualitates diſtribui ponamus. Ad eos autem arcus duos inveniendos quatuor longitudinum obſervationes requiruntur accuratiſſime peractæ; eaque de cauſa ſtellarum potius ac Solis exſcurſus per meridianum, quam Solis declinationes in rem hanc aſſumi jubet.

Non inutile tamen futurum arbitror ſi methodum aliam ſubjecero qua res confici queat duabus tantum obſervationibus per illos dies habitis quibus Solem prope apogæum, ac perigæum hærere conſtat, quæ loca cum propter ſol-

ſtitio-

ſtitiorum viciniam aſtronomis intentata eſſent, quippe qui longitudinem per declinationes exquirere conſueverant, contra maxime opportuna ſunt ubi illa per aſcenſiones rectas ope ſtellarum inveſtigetur, ſtellarumque ipſarum aſcenſiones ab obſervationibus ſolſtitiorum conſtituantur.

Stellæ cujuſpiam inerrantis, veluti Sirii, diſtantiam temporariam a Sole momento æſtivi ſolſtitii definito, ac exinde aſcenſionem rectam ſtellæ ſupputato ea ratione quam capite 20 explicuimus. Subinde paucos poſt dies, cum Sol apogæo eſt proximus iterum temporariam ejus a ſtella diſtantiam obſervato, rectamque Solis aſcenſionem & ex ea longitudinem ad tempus ejus meridiei conficito. Eadem omnia hiberno ſolſtitio ac juxta perigæum repetito, ſive eadem ſtella, ſive alia rem conficere lubeat, modo ſtellæ aſcenſio recta per illud idem hibernum ſolſtitium determinetur. His peractis perpendendum eſt rectarum omnium linearum quæ per centrum telluris duci poſſunt, quæque extremis earum punctis longitudines duas in ecliptica e diametro oppoſitas deſignent, unam eſſe abſidum lineam quæ Solarem orbitam bifariam ſecet; quo fit nulla præter apogæum, ac perigæum puncta duo in ecliptica oppoſita uſpiam exiſtere quorum punctorum diſtantiam dimidio annuæ converſionis tempore Sol emetiatur; vel potius (ne motum illum utut exiguum negligamus quo abſides in annos ſingulos progrediuntur) dimidio ejus temporis quo ab apogæo digreſſus ad illud revertitur; quod equidem tempus, ſi apogæi motum annuum eſſe conſtet ſecundorum 62 (quantum aſtronomi plerique omnes ponunt, ac nos etiam ſuperiori capite præterpropter invenimus) dierum eſt 365 hor. 6. 14, ejuſque dimidium dierum 182 hor. 15. 7; unde apogæi inquiſitio huc denique redit: ut puncta duo in ecliptica inveniantur e quorum altero ad alterum intervallo dierum 182 hor. 15. 7 Sol perrexerit; puncta vero ipſa minime examuſſim oppoſita ſint, ſed dimidio motus annui apogæi nempe ſecundis 31 ſupra gradus 180 inter ſe diſtent. Id autem qua ratione effici poſſit ex obſervationibus illis duabus juxta abſides habitis, facilius exemplo quam præceptis declarabimus. Sumemus autem in hoc exemplo motum diurnum Solis circa apogæum minutorum 57. 10, prope perigæum autem min. 61. 11 quantum aſtronomorum tabulæ fere exhibent, neque obſervationes noſtræ ad aliquot dies hinc inde ab apſidum linea habitæ ab hiſce numeris valde diſcrepant.

Superiore igitur anno 1734 ſolſtitialem diſtantiam a Sole ad Sirium definivimus minutorum 33. 22 temporis medii, ac propterea aſcenſionem rectam Sirii conſtituimus gr. 98. 21. 52, uti dictum capite 20. Die vero 29 Junii diſtantiam temporariam a Sole ad Sirium meridie invenimus min. 1. 35 temporis medii, nempe grad. 0. 23. 48; idcirco erat aſcenſio recta Solis gr. 97. 58. 4, ejuſque longitudo gr. 7. 18. 57 Cancri; ſed cum propter æquationem temporis meridies verus medium ſubſequeretur minutis 3, fuerit oportet longitudo Solis die 29 Junii meridie medio gr. 7. 18. 50 Cancri.

Rurſum diſtantia ſolſtitialis hiberna a Sirio ad Solem inventa eſt horarum 11 24. 38 temporis medii, atque inde aſcenſio recta Sirii gr. 98. 22. 23. Poſtmodum die 30 Decembris Sirius ſequebatur Solem temporibus mediis hor. 12. 2 16, nempe gradibus 181. 3. 40; unde aſcenſio recta Solis meridie gr. 279. 26

3, &

3, & longitudo gr. 8. 39. 57 Capricorni, ſed cum iterum meridies verus medio ſuccederet minutis 3, fuerit longitudo Solis die 30 Decembris meridie medio gr. 8. 39. 49.

Experiamur jam an certa quæpiam apogæi longitudo, quam pro arbitrio aſſumemus gr. 8. o Cancri, illi quod ſupra diximus dimidiæ revolutionis intervallo reſpondeat. Si ergo die 29 Junii fingamus apogæum in gr. 8. o Cancri, erit perigæum die 30 Decembris in grad. 8. o. 31 Capricorni. Ex obſervatione diei 29 Junii & motu Solis diurno min. 57. 10, ſubductis calculis liquet Solem hora 17. 17 attigiſſe gr. 8. o Cancri; ac rurſum ex obſervatione d. 30 Decembris, diurnoque motu min. 61. 11 conſtat eum adventaſſe ad gr. 8. o. 31 Capricorni die 29 ejus menſis hora 8. 35. Intervallum eſt dierum 182 hor. 15. 18 excedens minutis 11 dimidiam revolutionem quam ſupra invenimus dierum 182 hor. 15. 7. Conſtat igitur Solem majori tempore quam dimidia illa revolutionem emenſum fuiſſe eum arcum, qui ex gr. 8. o Cancri ad grad. 8. o. 31 Capricorni numeratur, ac propterea apogæum in hunc ipſum arcum incidere, & die 29 Junii promotius fuiſſe quam in gr. 8. o Cancri.

Periculum ergo faciamus quid contingat ſi apogæum promoverimus minutis 10, ut die 29 Junii ſit in gr. 8. 10. Cancri, ac propterea perigæum die 29 Decembris in grad. 8. 10. 31 Capricorni. Supputatis iterum temporibus quibus Sol utramque hanc longitudinem eſt aſſecutus, prodeunt 29 Junii hor. 21. 29 & 29 Decembris hor. 12. 30. Intervallum eſt dierum 182 hor. 15. 1, deficiens jam a dimidia revolutione min. 6. Apogæum igitur ad finem Junii minus promotum erat quam in gr. 8. 10. Cancri, ac intra duos hoſce limites gr. 8. o, & gr. 8. 10 ejus ſigni conſiſtebat.

Nunc ergo cum apogæo promoto min. 10 differentia intervalli a dimidia revolutione, quæ differentia fuerat min. 11 exceſſus, redacta fuerit ad min. 6 defectus, apparet hanc differentiam mutatam minutis 17. Si ergo minuta 17 reſpondent diverſitati apogæi minutorum 10, neceſſe eſt minuta illa 11 quæ ex priori poſitione prodibant exhauriri ſi apogæum promoveatur ab eo poſitu tantum min. 6. 30, ſtatuaturque in gr. 8. 6. 30 Cancri, & quod inde conſequitur, perigæum die 30 Decembris collocetur in gr. 8. 7. 1 Capricorni. Quod ſi ergo in hac hypoteſi calculi iterum ineantur, apparebit Solem eas longitudines aſſecutum fuiſſe die 29 Junii hora 20. 1, ac die 29 Decembris hora 11. 8, intervallo ſcilicet dierum 182 hor. 15. 7, dimidio nempe ejus temporis quo ab apogæo diſcedens ad idem redit; ac propterea apogæi locum recte habere.

Quamquam autem hæc methodus motum annuum apogæi veluti cognitum aſſumat, qui nondum exacte eſt definitus, tamen expertus ſum ſi ille motus paulo alius ponatur nihil fere apogæum variari, quinimo ne multum quidem intereſſe ſi nulla ejus motus habeatur ratio, modo dimidia revolutio tunc fiat dierum 365 hor. 14. 54, nempe æqualis ſemiſſi anni tropici; prodibat enim mihi ex apogæo immoto locus ejus in gr. 8. 7. 30 Cancri, nempe minuto tantum promotior quam inventus ſit poſito motu annuo ſecundorum 62.

Ad hæc ut methodi ſubtilitatem tentarem, diurnum Solis motum in apogæo pro min. 57. 10 ponebam min. 57. 14, in perigæo autem pro min. 61. 11 aſſumebam min. 61. 9, quos ſcilicet motus obſervationes nonnullæ ſuperiore anno a no-

nobis habitæ exhibent, apogæum tamen perparum inde mutabatur, hærebat enim circa gr. 8. 8 Cancri.

Denique longitudinem Solis die 29 Junii meridie obſervatam nempe grad. 7. 18. 50 Cancri meridie æquali minuebam ſecundis 15 ut eſſet gr. 7. 18. 35; longitudinem vero die 30 Decembris, gr. 8. 39. 49 tantundem augebam ut foret gr. 8. 40. 4, & calculis iterum poſitis apogæum nanciſcebar in gr. 7. 59 Cancri, diſcrimine minutorum 6 vel 7 a priori determinatione. Unde inferre licet apogæum hac methodo ſatis certo ad decimam gradus partem conſtitui poſſe ab obſervationibus quibus ſingulis fallacia ſecundis 15 major non ſubſit, nempe quæ ſingulæ circiter ſcrupulum ſecundum temporis a recto non aberrent, cujuſmodi ſubtilitas aſtronomorum facultatem non excedit.

Caput XXIII.

De Solaris orbitæ excentricitate definienda.

Apogæi quidem indago ſi ejuſcemodi aggreſſionibus inſtituatur, abſoluta eſt, neque ulli certæ hypoteſi adſtricta, excentricitatem vero Solaris orbitæ invenire minime in poteſtate eſt niſi orbitæ ipſius figura vel nota ſit, vel tanquam nota ſpectetur. Eam figuram ellipticam ſtatuunt recentiores aſtronomi, cujus ellipſeos alter umbilicus telluris centro congruat; hac autem hypoteſi aſſumpta ſi diſtantiæ tres Solis a tellure datæ fuerint, una cum angulis quas diſtantiæ ipſæ comprehendunt (differentiæ nempe longitudinum Solis, quæ diſtantiis tribus reſpondent) ellipſeos ſpeciem, ac ex eo excentricitatem, quin etiam tranſverſi axis, nempe apſidum poſitionem inveniri poſſe geometris notum eſt. Diſtantias vero illas tres nanciſci haud modicam difficultatem habet; ſi quis enim e diametrorum Solarium obſervationibus eas inveſtigandas ſuſcipiat vix eſt ut tantam ſubtilitatem aſſequi poſſit quanta in hoc negotio requiritur. Præclare quidem Hallejus quibuſdam planetarum obſervationibus (præſertim Martis) ex certo temporis intervallo habitis quotlibet diſtantias telluris a Sole una cum longitudinum differentiis definiri poſſe oſtendit, ſed mihi quo minus hanc methodum experirer obſervationes idoneæ defuerunt.

Communius tamen aſtronomi ad excentricitatem Solis perquirendam non modo orbitæ figuram aſſumunt, ſed & motus legem, qua lege in ejus figuræ perimetro revolvatur. Ac in illis ſane hypoteſibus in quibus centrum quoddam motus æquabilis in apſidum linea ponitur, circa quod centrum linea ad Solem ducta angulos comprehendat temporibus proportionales, haud difficile eſt excentricitatem perſcrutari, ſive eadem opera qua apogæum ex datis tribus obſervationibus inveſtigatur, ſive apogæo ſeorſim invento, ex tempore quod ab eo ad alium quemvis in ecliptica poſitum Sol impendit, inde enim anomalia tam vera quam media colligitur, quarum differentia æquatio eſt; æquatione autem atque anomalia utralibet cognita excentricitas tam in circulo quam in ellipſi facile ex ejuſcemodi hypotheſibus eruitur.

In

In lege autem Kepleri qui centrum æquabilis motus nullum agnoſcit, ſed areas ellipticas temporibus proportionales ponit, excentricitatis inventio operoſior eſt, ac fere inexplicabilis ſi directa methodo tractanda ſit, neque enim datis tribus planetæ locis, eorumque temporibus, neque data anomalia media ac vera quæ illi reſpondet, ellipſeos ſpecies geometrice determinari poteſt. Itaque aſtronomi ad indirectas methodos confugiunt, cujuſmodi methodum hypoteſi huic aptavit Jacobus Caſſinus ea diſſertatione cujus ſuperiori capite memini.

Poſſet tamen in ea hypoteſi excentricitas geometrice erui ubi maxima ac minima Solis celeritas ſubtiliſſime comperta foret; eſt enim (poſita hac motuum lege) diſtantia Solis perigæi ad ejuſdem apogæi diſtantiam in ſubduplicata ratione celeritatis in apogæo ad celeritatem in perigæo. Datis autem diſtantiis apſidum, ſumma eſt axis ellipſeos, ac differentiæ dimidium excentricitas. Celeritates vero illas ſat accurate menſuris comprehendere liceret ſi longitudo Solis ex ſtellæ alicujus comparatione diligenter inveſtigaretur ſex vel octo diebus antequam ad lineam apſidum perveniret ac totidem poſtquam eam prætergreſſus eſſet, quandoquidem & iis locis motum pene æquabilem eſſe conſtat, & errorculi ſi qui inter obſervandum admiſſi forent, evaneſcerent, cum duodecima vel ſextadecima pars differentiæ earum longitudinum pro diurno motu acciperetur.

Veluti anno 1734 die 23 Junii meridie ex diſtantia temporaria a Sole ad Sirium, quæ obſervata eſt hor. o. 26. 27 temporis medii, prodiit longitudo Solis grad. 1. 35. 26 Cancri. Die vero 8 Julii ex diſtantia a Sirio ad Solem hor. o 35. 27 longitudo fuit gr. 15. 53. 55 ejuſdem ſigni. Intervallum eſt dierum 15, differentia vero longitudinum gr. 14. 18. 29; idcirco motus diurnus Solis apogæi min. 57. 14. Similiter ex obſervationibus diei 25 Decembris erat meridie diſtantia a Sirio ad Solem hor. 11. 40. 5$\frac{1}{2}$ temporis medii, & longitudo Solis gr. 3. 33. 39 Capricorni; die vero 6 Januarii diſtantia a Sole ad Sirium hor. 11. 23. 4$\frac{1}{2}$, longitudo Capricorni 15. 47. 31; intervallum dierum 12, differentia longitudinum gr. 12. 13. 52 unde motus diurnus Solis perigæi min. 61. 9. Eſt ergo diſtantia perigæa ad apogæam ut radix quadratica min. 57. 14 ſive ſec. 3434 ad radicem quadraticam min. 61. 9 ſive ſec. 3669, quæ radices ſunt inter ſe ut 5860 & 6058. Harum differentiæ dimidium 99 eſt excentricitas, ſeu diſtantia foci in quo tellus ponitur a centro ellipſeos, ſi axis tranſverſus radicum illarum ſummæ æqualis ſtatuatur, nempe partium 11918, ac ſemiaxis partium earundem 5959; quapropter ubi ſemiaxis fiat, quemadmodum ſolet, partium 100000, erit excentricitas partium 1661. Sed celeritates illæ plurium annorum obſervationibus comprobandæ forent.

Potius ergo excentricitatem in Kepleri hypoteſi exquirendam arbitror indirectis tentaminibus (quod a Jacobo Caſſino præſtitum dixi) utcumque enim aſtronomicam exactitudinem aſſequamur geometricam morari nihil eſt neceſſe. Præſertim vero ex uſu eſſe poteſt ſi longitudo Solis exquiſite comprehenſa fuerit quo tempore is ab utroque abſide quadrante diſtat, nempe cum linea veri

motus lineæ abſidum ad perpendiculum incidit. Ejuſmodi obſervationes duas nactus ſum in multis quæ a Joſepho Marcheſio, Euſtachio Zanotto, Joſepho Roverſio, aliiſque ſociis in hoc publico obſervatorio actæ ſunt anno 1734 per tranſitus meridianos Solis ac Sirii, cujus ſtellæ aſcenſio æſtivo ejuſdem anni ſolſtitio, (quod ſæpe diximus) accurate definita fuerat. Die enim 28 Martii meridie, nempe æquali tempore hor. 0. 5 Sol præcedebat Sirium horis 6. 4 43 temporis medii; ac propterea longitudo Solis erat gr. 7. 35. 5 Arietis. Kalendis vero Octobris meridie, hoc eſt æquali tempore die 30 Septembris hor. 23 50 Sol ſequebatur Sirium horis 5. 54. 58; itaque verſabatur in grad. 8. 0. 15 Libræ. Ex hiſce obſervationibus Solaris orbis excentricitatem hoc pacto inveſtigavi.

Apogæi locum retinui eundem quem ſuperiori capite invenimus ad exitum Junii 1734, in grad. 8. 6. 30 Cancri. Hunc ipſum poſitum etſi in hac indagine accuratiſſime prænoſci minime neceſſe erat, tamen ex hiſce obſervationibus mire comprobari apparebit. Quoniam autem apogæum ſingulis annis progreditur ſec. 62, atque ideo trimeſtri ſpatio ſecundis præterpropter 15, fuerit ejus locus ſub finem Martii in gr. 8. 6. 15 Cancri; ac propterea quadrans circuli ab eo puncto incidet in grad. 8. 6. 15 Arietis. Cum ergo die 28 Martii hora 0. 5 æquali tempore Sol inventus ſit in Arietis grad. 7. 35. 5, ejuſque motus diurnus, ſatis per eos dies compertus, foret min. 59. 8, colligitur Solem gradibus ipſis 90 ab apogæo diſtitiſſe die 28 Martii hor. 13. 33 æquali tempore. Tempus autem quo Sol ad apogæum pervenerat ſupra ſtatuimus die 29 Junii hora 20. 1; intervallum ergo eſt dierum 93 hor. 6. 28; id quod & obſervatio alia Kalendis Octobris habita præclare confirmat. Cum enim eo meridie, ſive æquali tempore die 30 Septembris hor. 23. 50, deprehenſus fuerit locus Solis in gr. 8. 0. 15 Libræ, apogæum vero tunc eſſet in gr. 8. 6. 45 Cancri, ac motus Solis diurnus foret tunc min. 59. 8 conſequitur Solem die 1 Octobris hora 2 28 rurſum quadrante circuli ab apogæo abfuiſſe; intervallo ſcilicet dierum 93 hor. 6. 27 ex quo die 29 Junii hora 20. 1 apogæum attigerat, diſcrimine unius tantum minuti ab eo intervallo, quod ex obſervatione diei 28 Martii invenimus; id quod apogæum ipſum die 29 Junii in gradu 8. 6. 30 Cancri recte collocatum comprobat.

Perſpicuum eſt igitur ex utraque hac obſervatione tempus illud quo Sol gradus 90 hinc inde ab apſidum linea vero motu metitur, ſtatui poſſe dierum 93 horarum 6. 28. Eſt autem tempus totum quo ab apogæo digreſſus ad idem revertitur (annus nempe anomaliſticus) dierum 365 hor. 6. 14; ejuſque quadrans dierum 91 hor. 7. 33. 30, ſive ſecundorum 7889610; ſpatium igitur temporis quo Sol a linea apſidum gradibus 90 elongatur anni anomaliſtici quadrantem excedit die uno, horis 22. 54. 30, nempe ſecundis 168870. Quod ſi ergo ellipticam Solis orbitam cogitemus eſſe AMD (*Figura* 8) cujus centrum B, apogæum A, perigæum D, focus vero in quo tellus ſtatuitur K, ut excentricitas, cujus menſura quæritur, ſit BK, locus autem Solis ab apogæo gradibus 90 diſſiti S, ubi nempe normalis ad AB ex K ducta ellipſim ſecat; & ducatur ſemiaxis conjugatus BM; cum in Kepleri hypoteſi areæ ellipticæ a radio Solem vehente deſcriptæ temporibus ſint proportionales, manifeſtum eſt ita

eſſe

eſſe quadrantem ellipſeos ad aream KSMA, ut quadrans revolutionis anomaliſticæ ad intervallum temporis, quo Sol a puncto S ad apogæum A progreditur; & dividendo ita erit quadrans ellipſeos ad aream KSMB, ut quadrans anni anomaliſtici nempe ſecunda 7889610 ad exceſſum quo intervallum illud quadrantem ejus anni ſuperat nempe ad ſecunda 168870. Porro deſcripto ſuper AD ſemicirculo AEOD, & productis BM, KS ad ejus peripheriam in E, O, conſtat quadrantem circuli eſſe ad aream circularem KOEB ut quadrans ellipſeos ad aream ellipticam KSMB; ergo ut ſecunda 7789610 ad ſecunda 168870 ita quadrans circuli, cujus menſura (poſito radio BE partium 100000) eſt quamproxime 7854000000, ad aream KOEB, quæ propterea erit earundem partium 168107800.

Ad inveniendum ergo punctum K ſecandus eſt quadrans circuli BED per rectam KO diametro AD normalem ut portio circularis KOEB ſit partium 168107800 qualium quadrans 7854000000. Id autem ſubductis calculis quamproxime obtineri apparebit ſi tantum area illa circularis 168107800 applicetur ad ſemidiametrum circuli EB, nempe ſi ſuper BE fiat rectangulum BCFE areæ illi æquale; altitudo namque hujuſce rectanguli BC minus centeſima milleſima particula ſemidiametri BE deficiet a recta BK, quæ circularem aream rectangulo illi æqualem determinat. Erit enim BC partium 1681 qualium radius 100000; quapropter (ducta per punctum G ubi CF circulum ſecat, recta GH ad AE normali, junctaque GE) erit GH ſinus grad. 0. 57. 48, ejus vero ſinus complementi BH partium *99986*, & Sagitta EH partium 14; unde rectangulum HF 23534, & triangulum rectilineum GEF 11767; mixtilineum igitur circulare GFE minus eſt quam 11767, huic autem mixtilineo æquari oportet ſpatium KOGC, (ut ſcilicet ſpatium KOEB rectangulo BF ſit æquale) ſpatium igitur KOGC minus eſſe debet quam 11767. Rectangulum vero GCKI ſuper CG conſtructum nuſpiam duplum eſſe poteſt ſpatii KOGC, ac propterea minus eſt quam 23534. Ponatur ut maxime 23534. Cum ergo CG, quippe æqualis BH, inventa fuerit *99986* erit altitudo CK quotiens ex diviſione 23534 per *99986*, nempe minor quarta parte unius e centeſimis milleſimis partibus radii BE. Omnino igitur BC & BK ad ſenſum non differunt. Inventa eſt autem BC 1681, excentricitas ergo BK & ipſa eſt 1681 earum partium, qualium BE, ſive ſemiaxis ellipſeos AB ponitur 100000. Ex hac excentricitate ſupputavi in eadem hypoteſi æquationem maximam gr. 1. 55. 34. Hiræus habet 1. 55. 42, licet ex ejus logarithmis diſtantiæ apogeæ ac perigeæ Solis a tellure colligatur eadem excentricitas 1681; ſed videlicet ipſe æquationes a ſe traditas forte huic hypoteſi non adſtrinxit.

Solutionem aliam hujuſce problematis eamque magis directam tentaveram ex iiſdem datis, ope theorematis quod Jacobus Caſſinus in diſſertatione illa demonſtravit, nimirum: Si ſuper axe primario AD (*Figura 9*) ellipſeos parum excentricæ a planeta deſcriptæ APD, fiat ſemicirculus ACHD, atque ad centrum B ponatur angulus ABC anomaliæ mediæ, vel ejus reſiduo ad circulum æqualis, tum ex foco F in quo comprehenduntur areæ temporibus proportionales, ducatur recta FC eique per centrum æquidiſtans agatur BK, atque a puncto K ubi hæc ſemicirculo occurrit demittatur ad axem AD normalis KR,

ſecans ellipſin in puncto P, locus planetæ in orbita nihil ad ſenſum a puncto P diſcrepabit. Cum enim hoc in quolibet planetæ poſitu obtinere debeat, inde ſequitur, ubi planeta fuerit in S, in ipſa ſcilicet recta FSH ad axem normali quæ per focum F tranſit, rectam BH parallelam fore rectæ FE quæ ex foco F ducitur ad punctum peripheriæ E in quo puncto angulus ABE anomaliæ mediæ, ejuſve reſiduo æqualis eſt; quapropter cum ex dato tempore adventus Solis ad apogæum A, necnon ad punctum S inde quadrante diſtans, detur angulus ABE, problema huc redibat: Dato in peripheria ſemicirculi AED puncto E, invenire in ejus diametro AD punctum F, ex quo erecta normali FH, quæ peripheriæ occurrat in H, recta FE æquidiſtet rectæ BH quæ ex H ad centrum B ducitur; ita enim punctum F erit ipſe focus ellipſeos, & BF excentricitas. Sed cum in æquationem ad quartum gradum aſſurgentem incidiſſem, indaginem hanc abjeci.

Poſtmodum cum id totum ſignificaſſem Joſepho Bolſio Marcheſio quicum diuturna mihi ac jucundiſſima in aſtronomicis ſtudiis conſuetudo intercedit, aggreſſus eſt ipſe problematis ſolutionem; & poſita ſemidiametro circuli $= a$, ac BI (ſinu complementi anguli ABE) $= b$, excentricitate vero BF $= x$, æquationem invenit $x^4 - 2bx^3 + 2aabx - aabb = 0$ neque ipſum piguit, ut eſt in analyticis rationibus exercitatiſſimus, calculum abſolvere, ac radices quatuor hujuſce æquationis inveſtigare, quarum duas (A) imaginarias duas vero (B) reales comperit ea methodo quam vir acutiſſimus Georgius Campbell tradidit in diſſertatione quæ arithmeticæ univerſali Neutoni poſtremæ editionis ſubjecta eſt. Artificium vero univerſum quo haſce radices eruit non proſequor, ne ab inſtituto meo longius abeam

$$(A)\; x = \frac{b + \sqrt{bb + \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4}} \pm \sqrt{2bb - \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4} + \dfrac{2b^3 - 4aab}{\sqrt{bb + \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4}}}}}{2}$$

$$(B)\; x = \frac{b - \sqrt{bb + \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4}} \pm \sqrt{2bb - \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4} + \dfrac{4aab - 2b^3}{\sqrt{bb + \sqrt[3]{4a^4bb - 4aab^4}}}}}{2}$$

Duarum ergo realium radicum (B) illam propoſitæ quæſtioni ſatisfacere invenit in qua poſtremum numeratoris membrum irrationale ſigno + afficitur. Itaque cum in obſervationibus duabus ante allatis tempus quo Sol a puncto S ad apogæum A progreſſus fuerat eſſet dierum 93 hor. 6. 27. 30, ac propterea angulus ABE, motus videlicet anomaliæ Solis huic tempori debitus, foret gr. 91. 55. 33, cujus ſinus complementi BI ($= b$) partium 3362, poſito radio

BD

BD ($=a$) partium 100000, ubi hoſce numeros pro lineis a & b in radice illa ſubrogavit, prodiit illi excentricitas BF ($=x$) partium earundem 1679, quantam fere ex priori tentamine inveneram.

Caput XXIV.

De media Solis longitudine, ejuſque æquationibus vel abſque excentricitatis notitia perſcrutandis.

INventa excentricitate, & comperto apogæi poſitu, ad conſtituendam certo aliquo tempore mediam Solis longitudinem, ex qua veluti radice aliorum omnium temporum longitudines mediæ eruantur, aſtronomi veras longitudines conſulere ſolent per ea tempora obſervatas in quæ tempora æquationes præterpropter maximas convenire conſtat; quod nempe iis locis æquationis quantitas dato tempore quamminimum mutetur, ac propterea non valde errari poſſit tametſi apogæi locus minus certus fuerit. Itaque æquationem maximam ex nota excentricitate in ea quam ſectantur hypoteſi ſupputatam vero Solis loco adjiciunt in priori ab apogæo ſemicirculo, in poſteriori ſubducunt, eoque longitudinem mediam eliciunt, quam deinde ad alia quælibet tempora proferunt.

